AZ.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
7
C
38

Digitized by Google

Digitized by Google

Y.
C.
35.

# D. THOMÆ ITTIGII

DE

# HÆRESIARCHIS

ævi Apoſtolici & Apoſtolico
proximi, ſeu primi & ſecundi
à Chriſto nato ſeculi

# DISSERTATIO.



EDITIO SECUNDA.

*LIPSIÆ,*
Sumpt. Hæredum FRIDERICI LANCKISII,
Anno M DCC III.

Digitized by Google

Digitized by Google

# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ STUDIOSIS,

ac imprimis

# AUDITORIBUS SUIS

Diſſertationis hujus Autor

*S. P. D.*

CUm his nundinis librarias officinas perluſtrarem, incidebam forte in diſſertationes ab HENRICO DODWELLO, Hiſtorices in Oxonienſi Academia Prælectore Cambdeniano, in Irenæum ſcriptas, quas prælo ſubjectas ex celeberrimi Cavei ad Excellentiſſimum noſtrum Menckenium literis & ex aliis ipſius Dodwelli ſcriptis jam pridem cognoveram, ſed oculis hactenus nondum uſurpaveram. Eas fugitivis oculis percurrens haud pauca, quod augurari

facile potueram, ad hiſtoriam Hæreſiarcharum ævi apoſtolici & apoſtolico proximi ſpectantia deprehendi. Nam in prima ſtatim diſſertatione, in qua de fide Irenæi & coævorum Patrum quoad media traditionis ordinariæ agitur, primos Chriſtianorum hæreticos à Judæorum hæreticis oriundos ſub Trajano demum nec ante penultimum Trajani annum ſeu A. C. 116. manifeſtam ab eccleſia diſceſſionem profeſſos aſſerit. Teſtem ejus rei appellat Hegeſippum, qui ad ea usque tempora, quibus Simeon Cleopæ filius Epiſcopus Hieroſolymitanus acerbiſſimis tormentis excruciatus & cruci tandem ſuffixus eſt, eccleſiam virginem manſiſſe, & tunc demum ab exortis hæreſibus ejus integritatem vitiatam fuiſſe memoriæ prodidit. Hegeſippo & alios teſtes adjungit, quos omni exceptione majores pronunciat, Celſum ſcilicet, quem, etſi infenſiſſimus Chriſtiani nominis hoſtis eſſet, primis tamen eccleſiæ naſcentis incunabulis hæreſes affingere auſum non fuiſſe animadvertit, & Clementem Alexandrinum, cujus locum de primo hæreticorum ortu ob menda, in quibus cubat, obſcuriſſimum & vexatiſſimum breviter explicat. Horum teſtimoniis non obeſſe putat Paulum & Johannem, qui aliquoties *ψευδώνυμον γνῶσιν* perſtringentes jam ſuo tempore eccleſiam ab hæreticis corruptam indicare videntur. Fatetur enim jam Apoſtolorum ævo Simonem & alios prava dogmata adinveniſſe, quin & ſcholas proprias, clancularias ſcilicet, condidiſſe, at negat, quod ſeceſſum ab eccleſia, & ſacra ſibi propria palam profeſſi fuerint. Atque hinc Apoſtolum Paulum in univerſalibus tantum terminis hæreticos ſui temporis ferire dicit, cum ne explorata quidem ſatis eorum dogmata habuiſſe videatur. Addit Apoſtolum hære-

ti-

ticis illis non tam proprias ſynaxes inſtitutas, quam deſertas & neglectas orthodoxorum ἐπισυναγωγὰς exprobrare, cum juxta poſterioris ad Theſſalonicenſes epiſtolæ caput 2. ejus ætate apoſtaſia & diſceſſio nondum contigerit, & homo peccati nondum revelatus fuerit. Confirmat ſuam ſententiam ex eo, quod Paulus paſſim falſorum fratrum meminerit, ex quo colligit, hæreticos ævi apoſtolici adhuc fratres videri voluiſſe, quos etiam Chriſtianorum ἀγάπαις interfuiſſe ex Judæ epiſtola obſervat, ut alia ejusmodi argumenta ſilentio prætermittam, quibus probare conatur, hæreticos apoſtolicæ ætatis in ſcholis quidem ſuis clandeſtinis ſerpentium inſtar φωλεύοντας eccleſiæ inſidias ſtruxiſſe, manifeſtam tamen inimicitiam & hoſtilem animum nondum declaraſſe. Primum autem manifeſtæ diſceſſionis autorem facit Menandrum, è cujus ſchola poſtea Saturninus & Baſilides prodierunt. Verum mirari quis posſit, cur Menandro primum diſceſſionis illius originem tribuat cum Hegeſippus, quem primum omnium ſententiæ ſuæ teſtem allegavit, non ad Menandrum, ſed ad Thebutin primam eccleſiæ virginis corruptionem referat, etſi ne ipſe quidem Hegeſippus, prout ejus ſententia ab Euſebio *lib. 3. c. 32. & lib. 4. c. 22.* relata fuit, ſatis ſibi conſtare videatur. Priorem enim Euſebii locum ſi evolvamus, hanc Hegeſippi ſententiam fuiſſe deprehendimus, quod poſt Apoſtolorum obitum, & cum jam ætas illa hominum, qui ipſam divinam ſapientiam auribus ſuis auſcultare meruerant, effluxiſſet, tunc demum impii erroris conſpiratio, quæ hactenus in obſcuro receſſu delituerat, in apertum proruperit. In altero vero loco Hegeſippus

ſcribit, poſt Jacobi Hieroſolymitani Epiſcopi mortem & Simeonis electionem, quæ juxta Dodwelli calculum A. C. 72. contigit, quo tempore nondum omnes Apoſtoli mundo emigraverant, Thebuthin quempiam eccleſiam vitiaſſe, quod alium ſibi in epiſcopatu prælatum ægre ferret. Equidem Dodwellus exiſtimat, citius Thebutim ab eccleſia ſecedere non potuiſſe, quam poſt mortem Simeonis A. C. 116. quia repulſa epiſcopatus, quam paſſus eſt, ſeceſſus cauſa fuerit, & ſub Trajano non alius Hieroſolymis epiſcopatus vacaverit, quam Simeonis. Verum Hegeſippus in altero illo Euſebii loco clare innuit, poſt Jacobi mortem Thebutin eccleſiam corrupiſſe, quod inde magis confirmari poteſt, quia Hegeſippus Thebuthin hunc Simoni Mago, Cleobio, Doſitheo & aliis hæreſiarchis, quorum ætas Trajani tempora non attigit, coævum facere videtur. Quamobrem in Hegeſippo parum præſidii pro tuenda ſua ſententia Virum Clariſſimum invenire puto. Si autem Clementis Alexandrini autoritatem ſequi malit, dicendum ipſi erit, non ſub Trajano ſed ſub Hadriano demum publicam illam hæreticorum diſceſſionem factam eſſe. Celſum quantum attinet, nihil amplius ille dicit, quam quod Chriſtiani, cum ob multitudinem per varia loca diſpergerentur, in varias partes ſciſſi fuerint. Atqui jam Apoſtolorum ævo Chriſtianos per varia loca diſperſos fuiſſe conſtat. Patet igitur, teſtes illos omni exceptione majores minime Dodwello ſuffragari. Fateor alicubi Irenæum Gnoſticorum initia ad Menandrum referre. Neque tamen Menandri ætatem ſub Trajano ponit, neque Menandri Magiſtrum Simonem aperte ab eccleſia diſceſſiſſe negat. Ipſos Apoſtolos ſi audiamus, paſſim illi apertam hæreticorum diſceſſionem notant. Sane Johannes de

Digitized by Google

de hæreticis, *è nobis*, inquit, *egreſſi ſunt, ſed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuiſſent, nobiscum manſiſſent. 1. Joh. II, 19.* quæ verba vix aliter quam de aperta diſceſſione intelligi poſſunt. Et tam aperta fuit nonnullorum diſceſſio, ut peculiari nomine ab orthodoxis diſcernerentur, ut ex Apocalypſi Johannea de Nicolaitis conſtat. Neque ſequitur: homo ille peccati, & filius perditionis, qui 2. Theſſ. II. deſcribitur, nondum Pauli ætate revelatus fuit, E. Pauli tempore nullus hæreticus aperte ab eccleſia ſeceſſit. Falſa etiam eſt illa conſequentia: hæretici quidam Apoſtolorum tempore fratres videri voluerunt. Ergo iſto tempore aperta hæreticorum diſceſſio nondum contigit. Omni enim tempore, etiam poſt apertas hæreticorum diſcesſiones inventi ſunt, qui pro fratribus haberi voluerunt. Neque ex eo, quod omnes hæreticorum veterum τερατολογίας Paulus ſpecialiter non expreſſerit, colligi poteſt, quod dogmata ſui temporis hæreticorum ignoraverit. Nulla igitur ratio cogere videtur, ut ante penultimum Trajani annum omnes hæreticorum ſcholas occultas & clandeſtinas fuiſſe dicamus. Interim id omnino certum eſt, poſt Apoſtolorum obitum longe majorem hæreticorum colluviem eccleſiæ agrum inundaſſe, quorum continuus & frequens ortus Polycarpo triſtes voces expreſſit: *DEUS bone, in quæ tempora reſervaſti!* Id enim Polycarpo moris fuiſſe, ut cum novam aliquam hæreſin exortam cognoviſſet, obturatis auribus ejusmodi exclamatione uteretur, Irenæus, qui ex ipſius Polycarpi ore hæc verba ſæpius audivit, in ea quam ad Florinum ſcripſit epiſtola, teſtatur. Iſti autem hæreſiarchæ, quorum dogmata Polycarpus tùm exhorruit, cum Irenæus adhuc puer in Aſia ejus aſpectu & ſermonibus frueretur, fuerunt Saturninus, Baſilides, Valentinus, & Cerdon, quos poſtea

ca Marcion, Carpocrates, Epiphanes, Prodicus, Iſidorus, Secundus, Ptolomæus, Colarbaſus, Marcus, Heracleon & alii exceperunt, quorum ætatem & ſucceſſiones in diſſertatione tertia *de tempore nativitatis & mortis Irenæi*, & in diſſertatione quarta *de Irenæi opere adverſus hæreſes* eruditè Dodwellus expendit, qui etiam in diſſertatione ſexta *de aliis Irenæi ſcriptis* Florini & Blaſti hiſtoriam fuſe & accurate pertractavit. Utinam vero tantum otii Clariſſimo Viro & virium ſuppetat, ut reliquas etiam in Irenæum diſſertationes erudito orbi propediem communicare poſſit, in quibus arduo quidem ſed utiliſſimo opere antiquiſſimas easdemque obſcuriſſimas hæreſes pro virili ſe explicaturum, ac, quo tempore veteres Hæreſiarchæ orti fuerint, & quas monſtroſiſſimorum dogmatum occaſiones captaverint, diligenter inquiſiturum pollicetur.

De mea hac diſſertatione nihil inſigne promittere Vobis, *Nobiliſſimi Juvenes, ſuaviſſimi Commilitones*, audeo. Eam tamen, qualiscunque eſt, ſingulari Veſtro erga me affectu fretus Clariſſimis Veſtris Dignitatibus conſecro, Deumque veneror, ut indefeſſam veſtram in excolendis ſtudiis induſtriam cum pietate & eximia morum elegantia conjunctam, quæ Eccleſiæ & Reipublicæ literariæ haud vulgare ornamentum ſpondet, in divini Sui Nominis Gloriam largisſima benedictione dignetur. Scrib. Lipſ. d. 14. Maji. A. C. 1690.

*Nobiliſſ. & Clariſſ. Veſtr. Dignit.*

*addictiſſimus*

L. T. ITTIGIUS.

Digitized by Google

I. N. J.

# Præfatio ad Lectorem,

*De Scriptoribus antiquis, qui veterum hæreſium hiſtoriam veterumque Hæreticorum catalogos ediderunt, Irenæo, Pſeudo-Tertulliano, Philaſtrio, Pſeudo-Hieronymo, Epiphanio, Auguſtino, Autore Prædeſtinati, quem alii Hyginum, alii Primaſium, alii Arnobium juniorem, alii Vincentium eſſe voluerunt, Gennadio Maſſilienſi, Theodoreto, Leontio Byzantino, Iſidoro Hiſpalenſi, Anaſtaſio, Sophronio, Thimotheo Presbytero, Damaſceno, Paulino Aquilejenſi ſeu potius Alcuino, Rabano Mauro, Euthymio Zigabeno, Joh. Zonara, Honorio Auguſtodunenſi, Conſtantino Harmenopulo, Niceta Acominato, Matthæo Blaſtare, Gvidone de Perpiniano &c.*

I.

INter hæreſiologias veterum non deperditas primo loco memoranda venit, quæ Autorem agnoſcit IRENÆUM Lugdunenſem in Gallia Epiſcopum curioſiſſimum il-

 lum,

adv. Valent. c. 5. p. 291 edit. Rigalt.

lum, ut à Tertulliano appellatur, omnium doctrinarum exploratorem, cujus caput A. C. 1562. ab Hugonottis pilæ in morem pedibus per vicos & plateas protruſũ & cæteras reliquias peſſime tractatas Theophilus Raynaudus in indiculo Sanctorum Lugdunenſium invidioſe queritur.

p. 305. 306.

At nos haud minus dolemus venerandas ingenii reliquias à Sanctiſsimo illo Præſule literis mandatas temporum injuria maximum detrimentum ſubiiſſe.

Pag. 2.

Euſeb. lib 5. H. E. c. 10. 24 & 26. Hieron. catalog. Scriptor eccl. c. 35

Euſeb. l. 5. H E. c. 7. Phot. bibl. cod. 120.

Nam ex ſcriptis ejus ab Euſebio & Hieronymo recenſitis nihil ferme amplius ſupereſt, quam libri V. adverſus hæreſes, ſeu, ut apud Euſebium & Photium Græca inſcriptio habet, ἐλέγχȣ καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμȣ γνώσεως, quos ne Græce quidem amplius, ſi fragmenta ab Euſebio, Epiphanio, Damaſceno, aliisque ſervata excipiamus, ſed Latine tantum editos habemus. Imprimis autem huc ſpectat liber primus, in quo Valentini & Valentinianorum deliriis recenſitis poſtea altius exorſus Haereticorum hiſtoriam à Simone inde Mago ad ſua usqve tempora perducit. Et priora qvidem ejus libri capita Jacobus Billius & Fronto Ducæus ſcholiis ſuis illuſtrarunt, integrum verò Irenæum Nicolaus Gallaſius & Johannes Feuar-

den-

dentius annotationibus ſuis clariorem reddiderunt,qui præterEraſmum &Grynaeum inſigne hoc antiquitatis monumentum luce publica donarunt. Neqve dubitamus ab Henrici Dodvvelli diſſertationibus in Irenæum, quæ nunc in Anglia ſub prælo ſudant, & quoad primam partem abſolutæ ſunt, ad hiſtoriam veterum hæreticorum plurimum lucis acceſſurum eſſe.

II. Irenæo ſecundi à Chriſto nato ſeculi Scriptori proxime jungendus foret, qui exeunte ſecundo & ineunte tertio ſeculo in Carthaginenſi eccleſia floruit Q. Sept. Florens Tertullianus, ſi apud eruditos certo conſtaret, poſtrema capita libri de præſcriptionibus adverſus Hæreticos, qvibus cōmemoratio 25. haereſium continetur, nō alium quam Tertullianum agnoſcere Autorem. Qvamvis enim nuperrime Dodvvellus paulo antea laudatus probare contendat, catalogum illum Hæreticorum vel ipſi Tertulliano vel coævo ſaltem Autori tribuendum eſſe; haud deſunt tamen rationes, quae vix permittunt, ut hanc libri de præſcriptionibus particulam pro genuino Tertulliani fœtu habeamus. Nam primum ea deeſt in vetuſtiſſimo Agobardi codice,

In diſſert. ſingul. de ſucceſſ. Pontif p. 216. Pag. 1.

ex quo quamplurimis in locis Tertulliani opera Rigaltius emendavit. Deſideratur etiam in veteri & probatæ fidei MSC. Anglicano, ut Pamelius notavit, & in aliis qvibusdam MSC. codicibus ab hoc Tertulliani tractatu avulſa legitur. Deinde dictio facilior & planior eſt, qvam ut Tertulliano congruat, cujus tanta eſt, Gisberto Voëtio judice, obſcuritas, ut vulgares animas plane dejicere, nobiliores fatigare qveat. Præterea Autor illius hæreſiologiæ, dum Marcionis hiſtoriam enarrat, virginem ab ipſo ſtupratam memorat, quod Tertullianum, in prolixis, qvos adverſus Marcionem ſcripſit, libris diſſimulaturum fuiſſe, ſi qvalemcunqve iſtius flagitii notitiam habuiſſet, haud probabile videtur. Deniqve in iſta Tertulliani appendice nonnulla occurrunt, qvæ ex Hieronymi adverſus Luciferianos dialogo verbotenus hauſta ſunt. Qvocirca etiam Chriſtianus Lupus, cum A. C. 1675. Tertulliani librum de præſcriptionibus contra Hæreticos Bruxellis ederet, poſtrema illa capita omiſit, quorum Autorem nec ipſum Tertullianum eſſe, nec Scriptorem Tertulliano coævum & ſupparem, prolixius probavit Autor Ano-

In not. ad Tertull. de præſcr. num. 293.

Cauſ. deſp. Pap. p. 467.

Anonymus diſſertationis de vita & ſcriptis Tertulliani, qvem Petrum Allixium eſſe dicunt.

cap. 7. p. 63. & 64. & cap. 10. p. 81. 82. & 83.

III. A Pſeudo-Tertulliano pergimus ad PHILASTRUM vel PHILASTRIUM Brixienſis eccleſiæ Epiſcopum. Nam & is catalogum hæreticorum compoſuit, qvem Auguſtino ignotum non fuiſſe ex ejusdem epiſtola ad Qvodvultdeum libello de hæreſibus præfixa & ex ipſo libello manifeſtum eſt.

Pag. 4.

Ætatem Philaſtrii Fuchtenius in præfatione editionis Helmſtadienſis ad annum 430. perperam retulit, etſi ex ipſo Philaſtrio errorem illum hauſerit. Scribit enim à Chriſti adventu ad ſuam ætatem præterlapſos annos 430.

Cap. 110. edit. Helmſt. al. 63. part. 3.

Verum cum ne Ambroſius quidem annum 400. attigerit, qui Philaſtrii iam defuncti in Epiſcopatu ſucceſſorem Gaudentium ordinavit, ut ex Gaudentii ſermone conſtat, quem de ordinatione ſua habuit, multom inus Philaſtrius ad annum 400. nedum 430. pertingere potuit.

Monum. orthod. à Grynæo edit. T. II. p. 1845.

Quamobrem in Philaſtrii codicibus pro annis 430. reponendi 380. ut poſt Latinum Latinium Baronius, Miræus, Voſſius & alii pridem monuerunt.

In not. ad Martyrol. die 18. Jul.

Bibl. eccl. T. I. p. 103. de Hiſt. Lat. lib. 2. c. 9.

Cæterum in exiguo Philaſtrii de hæreſibus libello haud exiguus nævorum & lapſuum nu-

Elench. trihæreſ. Serar. c. 1. p. 229. ſqq.

merus occurrit, qui Scaligeri aliorumque cenſuram meruerunt.

IV Sub S. HIERONYMI nomine indiculum de hæreſibus Claudius Menardus Juliomagi Andium Proprætor Lutetiæ Pariſiorum A. C. 1617. in lucem publicam emiſit. Et parum abfuit, quin hunc indiculum in carioſis & putribus membranis poſt aliquot Iſidori capita repertum pro genuino Hieronymi fœtu agnoſceret. Legerat enim apud Auguſtinum in epilogo libelli de hæreſibus: *audivi ſcripſiſſe de hæreſibus S. Hieronymum, ſed ipſum ejus opuſculum nec in noſtra bibliotheca invenire potuimus, nec unde poſſit accipi ſcimus. Qvod ſi tu ſcieris, perveniat illud, & forſitan habebis aliqvod melius qvam hoc noſtrum, qvamvis nec ipſum licet hominem doctiſſimum omnes hæreſes arbitrer indagare potuiſſe.* Præterea ſtylum hujus indiculi Hieronymo non indignum Menardus judicabat, cum præſertim aliqua hujus indiculi tot pene verbis in Hieronymiano Scriptorum catalogo legerentur. Talia
Pag. 5. animo verſantem unica dubitandi ratio à pleno aſſenſu retrahebat, quam in præfatiuncula hujus indiculi ſequentibus verbis exponit: *hæſimus tamen aliquantulum, cum in Luciferianis habet hoc usqve apud quendam tamen, cujus nomen*

*in*

*in eodem ejus opuſculo non inveni, in hæreticis Luciferianos poſitos legi per hæc verba, qvæ hic habes totidem ſyllabis, ut neceſſe fuerit ignoratũ Sanctiſſimò Viro Libri Hieronymiani titulum.* Hæc ut intelligantur, pro vocula *usqve* legendum videtur *Auguſtinus.* Cap. 81. Is enim in libro de hæreſibus, ubi de Luciferianis agit, *apud qvendam tamen,* inquit, *cujus nomen in eodem ejus opuſculo non inveni, in hæreticis Luciferionos poſitos legi per hæc verba: Luciferiani, inqvit, cũ teneant in omnibus catholicam veritatem, in hunc errorem ſtultiſſimum prolabuntur, ut animam dicant ex transfuſione generari, eandemque dicunt & de carne & carnis eſſe ſubſtantiã.* Id ipſum autẽ, quod ex ignoto ſibi Autore de Luciferianis Auguſtinus prodit, totidem verbis in Hieronymi indiculo legitur. Ex quo Menardus colligit, Autorem hujus indiculi Auguſtino incognitũ fuiſſe. Certe Hieronymi de hæreſibus librum Auguſtinò ad manus non fuiſſe, cum ſuum de hæreſibus librum ſcriberet, ex ipſiusmet verbis paulò ante cognovimus. Sed nec alia deſunt argumenta, quæ hunc Hieronymum eſſe Pſeudonymum evincunt. Et Grotius quidem in epiſtola ad Epiſt. 91. Voſſium ex Prædeſtinatorum mentione primum arguebat, non Hieronymo ſed Scriptori cuipiam Gallo, qui poſt Auguſtinum vixerit,

hunc

hunc indiculum tribuendum eſſe. Cum vero à Voſſio monitus agnoviſſet, particulam illam de praedeſtinatianis & ſequentia nonnulla capita non Hieronymo ſed Gennadio adſcribi, Epiſt. 92. nihilominus etiam priora capita Hieronymi eruditionem non redolere in alia quadam ad Pag. 6. Voſſium epiſtola ſtatuebat. Nec alia mens Tom. I. de Script. eccl. p. 448. Labbeo, qui de hoc indiculo, *non videtur*, inqvit, *eſſe Hieronymi*. Itaque ſi hunc Hieronymi indiculum à Menardo vulgatum cæteris Hieronymi operibus adjungere voluiſſent, qui poſt A. C. 1617. Hieronymi opera conjunctim ediderunt, inter dubia & pſeudepigrapha Hieronymi opera fuiſſet referendus. Nec magnis impenſis opus hic fuiſſet, cum vel una plagula toti Hieronymi indiculo exprimendo ſufficere potuiſſet. Sed nolo hic in cauſas inquirere, cur iſte hæreſium indiculus in editionibus operum Hieronymi etiam apud Pariſienſes, qvibus hoc opuſculum ignotum eſſe non potuit, neglectus fuerit. Id modo doleo, tam corruptum & depravatum fuiſſe codicem, quo Menardus uſus eſt, ut multis in locis ſine emendatione intelligi non poſſit. Quæ res Johannem Baptiſtam Cotelerium permovit, ut, cum Damaſceni de hæreſibus librum notis illuſtraret,

hac

hac occaſione paſſim plurima hujus indiculi loca emaculanda ſuſciperet. Incipit hic indiculus ab hæreſibus Judæorum, deinde pergit ad Simonem Magum, Menandrum, Saturninum, Baſilidem Nicolaum, Ophitas, Marcionitas, Manichæos, Gnoſticos, Valentinum, Cajanos, Sethitas, aliosqve primitivæ eccleſiæ hæreticos, quibus etiam ſectæ quædam Philoſophorum gentilium intermiſtæ apparent. Poſt Arianos, Photinianos & Eunomianos ſequitur ſupplementum aliquod ſub nomine Gennadii Maſſilienſis. Quæ vero ſeqvuntur de hæreſibus poſt Gennadium exortis, ex Iſidoro Hiſpalenſi deprompta ſunt. lib. 8, orig. c. 5.

V. Hieronymi σύγχρονος Epiphanius Conſtantiæ ſeu Salaminae in Cypro Epiſcopus, quem Philaſtrio doctiorem Auguſtinus in ſua ad Quodvultdeum epiſtola judicat adverſus haereſes 80. opus edidit, quod Panarium inſcribit h. e. arcam ſeu capſulam & thecam medicam, cum ibi non ſolum haereticorum ſententias exponat, verum etiam contra venenatos haereticorum morſus ſaluberrima remedia ſuppeditet, ut ipſe Epiphanius in magni hujus operis compendio, quod ἀνακεφαλαίωσιν appellat, rationem iſtius nominis interpretatus eſt. Pag. 7.

Et hanc ſolam ἀνακεφαλαίωσιν Auguſtinus intelligat oportet, cum in praefatione libelli de haereſibus Epiphanii tractatum minus prolixum aſſerit, quod de ipſo Panario dicturus non fuiſſet, ſi ejus notitiam habuiſſet, ut notat Dionyſius Petavius, qui poſt Janum Cornarium omnia Epiphanii opera Latio donavit & notis ſuis additis Lutetiae publicavit, paucis abhinc annis Lipſiae recuſa, quamvis hac Petavii opera male Epiphanio conſultum fuiſſe Salmaſius, Croius, aliique judicaverint. Ipſum Epiphanium eiusque Panarium quod attinet, hiſtoriam haereſium utiliter inde diſci poſſe, ſed confutationes nonnunquam infirmiores & frigidiores eſſe Chemnitius noſter cenſuit, idque iampridem etiam Photius in bibliotheca ſua animadvertit.

Salmaſ de tranſubſt. pag. 55 & 540. Croj obſ ad N T c 19. & 20. Chemnit. orat. de lect. Patr. p. 12. Phot. bibl. cod. 122.

VI. Eadem, qua Hieronymus & Epiphanius aetate floruit Augustinus, cuius libellum de haereſibus Lambertus Danaeus non indignum cenſuit quem commentario ſuo illuſtraret. Quid Auguſtinum ad ſcribendum hunc libellum impulerit, ex praefatione & duabus ad Quod vultdeum Diaconum Carthaginenſem epiſtolis manifeſtum eſt, in quibus etiam inſtituti ſui difficultatem ulterius

cx-

exponit. Haereſes, quas in hoc libello recenſet, ſunt in univerſum 88. quarum agmen Simoniani ducunt, Pelagiani claudunt. Monachi Benedictini Pariſienſes è congregatione S. Mauri, qui novam operum Auguſtini editionem adornarunt, novoque pariter ordine Auguſtini ſcripta digeſſerunt, hunc Auguſtini librum de haereſibus ad octavum tomum retulerunt, cum in caeteris editionibus ſextum tomum auſpicetur. Pag. 8.

VII. Eodem ferme ordine, quem Auguſtinus tenuit, primitivae eccleſiae haereſes recenſet antiqvus quidam ſed incertus autor. Eum ſub PRÆDESTINATI nomine primum Jacobus Sirmondus Pariſiis A. C. 1643. luce publica donavit. Paulo poſt idem Praedeſtinati opus iterum typis exprimi curavit & cenſuram ſuam adjunxit Johannes Awraeus, ſub quo nomine alii Arnaldum alii Blondellum latere cenſuerunt; H. Grotius in epiſtola quadam ad Fratrem Culielmum indicat. Part. 2. epiſtol. 699. Poſtea cum A. 1677. Lugdunenſis Patrum bibliotheca prodiret, inter Patres tomi vigeſimi ſeptimi Autor ille Prædeſtinati, quamvis Semipelagiana hæreſi infectus comparere non erubuit. Noviſſime A. C. 1686. in



Digitized by Google

Italia apud Patavinos Seraphinus Piccinardus Prædeſtinatum illum prolixis prolegomenis & appendicibus locupletatum in lucem publicam emiſit. Totum Prædeſtinati opus tribus libris conſtat, qvorum primus 90. hæreſes complectens hunc titulum præfixum habet: *Epitome ecdiceſeos Hygini contra hæreſiarchas, & categoriarum Epiphanii contra ſectas, &* Hincm. c. 1. oper. tract. de prædeſt. c. 1. p. 6. *expoſitionum Philaſtrii &c.* Ex hoc titulo natus error Hincmari Remenſis, qui Autorem hujus anonymi tractatus Hyginum appellat, cum tamen Hyginum inter eos ab Autore referri manifeſtum ſit, qui ante ipſum hæreticorum catalogos contexuerunt. Alii, qui- Oud. ſupplem. Script. eccl. p. 119. Iſidor. de Script. eccl. cap. 9. bus accedit Oudinus, Autorem huius tractatus Primaſium fecerunt Adrumetinum in Byzacena Africæ provincia Epiſcopum, quem Iſidorus in catalogo virorum illuſtrium libros tres de hæreſibus ad Fortunatum Epi- Pag. 9 ſcopum edidiſſe retulit. Et confirmari quodammodo poſſet hæc ſententia autoritate MSC. cujusdam codicis, qui, ut αὐτόπτης Mabil- Mabill. analect. tom. 4 p. 83. 84. lonius in itinere ſuo Germanico memorat, opus hoc expreſſe Primaſio tribuit, quem codicem à Reginbaldo, monacho Benedictino ante annos 850. exaratum tradit Harduinus

n diſſert. de baptiſmo in nomine Chriſti p.73. Verum Primaſius, quantum ex Iſidoro novimus, tripartitum ſuum opus de hæreſibus hoc ordine digeſſit, ut in primo oſtenderit, quid hæreticum faciat, in ſecundó verò & tertio, quid hæreticum demonſtret. At Autor Prædeſtinati in Primo libro 90. hæreſes recenſet, n ſecundo exhibet librum ſub Auguſtini nomine confictum, quem poſtea in libro tertio refutat. Neque ulla hic Fortunati Epiſcopi mentio, cui Primaſius opus ſuum dedicaſſe dicitur, niſi quod in codice MSC. Augienſi criticus neſcio quis ſingulos libros Primaſii ad Fortunatum titulo prænotavit ut à Sirmondo in hiſtoria Præd. p. 27. obſervatum. Accedit quod in iſto codice Augienſi, quem Mabillonius vidit, nomen Primaſii dilutiori atramento aſcriptum deprehendatur. Quocirca Sirmondus de Autore Prædeſtinati nihil certi hactenus compertum in hiſtoria ſua Prædeſtinatiana aſſerit, & quamvis in præfatione Autori huic à ſe edito præmiſſa de Arnobio juniori, cuius in Pſalmos commentarii extant, ob ſtyli ſententiarumque affinitatem nonnihili auguretur, ipſe tamen divinationem hanc incertam eſſe profitetur, eam-

Sirmond. hiſtor. prædeſtin. c. 4.

que aliorum ſolertiæ & judicio ulterius inquirendam permittit. Piccinardus vero, cuius paulo ante mentionem fecimus, Arnobio hunc fœtum plane abjudicat, eumque Vincentio Presbytero Pſalmorum interpreti, quem Gennadius Maſſilienſis à Sacrarum Scripturarū cognitione & lingua uſu loquendi polita commendat, vel Vincentio Victori, adverſus quem Auguſtinus libros de origine animæ compoſuit. Verum ut hanc conjecturam probet, multa ſupponit, de quibus haud immerito dubitari poſſit. Vix igitur aliquid certi de nomine Autoris proferri poterit. De ætate tamen Autoris ex eo nonnihil colligere licet, quod *88.* hæreſibus ab Auguſtino enumeratis duas tantum addat, Neſtorianorum ſcilicet & Praedeſtinatorum. Hinc enim non levis naſcitur ſuſpicio, quod hic Autor, quiquis fuerit, paulo poſt Auguſtinum & Eutychis hæreſi nondum exorta ſcripſerit. Multa autem in hoc Autore de priſcis hæreticis leguntur, quæ Irenæo, Philaſtrio, Epiphanio, Auguſtino, aliisque primitivæ eccleſiæ Scriptoribus incognita fuerunt, ſive ea ex Hygino, Polycrate, Africano & Heſiodo hauſerit, ut videri vult, ſive ipſe

Picc. de oper. Præd. ſect. 1. art. 3. §. 2. art. 2. §. 9.

Gennad. Maſſ. de Script. eccl. c. 80.

Pag. 10.

pſe ad captandam novitatis gratiam ejusmo-
di geſta finxerit,qua de re liberum cuilibet ju-
dicium permitto. Interim ſuſpectæ iſtæ nar-
ationes Reformatis, & inter Pontificios Jan-
enianis, qvibus hoc opus ob prædeſtinato-
um hæreſin inviſum eſt, haud incommodam
occaſionem præbuerunt, ut cum perſonato Avvr. cenſur. Prædeſtinat, cap. 1.
Awræo & Maugvino ſcriptum hoc omni fide
& luce publica indignum cenſuerint. Contra Maugvin. vindic. Prædeſt. & grat. diſſ. 2. p. 500. ſeqq.
eſuitis & Remonſtrantibus gratiſſimum hunc
ibellum fuiſſe, Sirmondi, Grotii, aliorum- Sirmond. hiſt. Prædeſt. c. 4.
que judicia teſtantur. Grot. epiſt. part. 2. ep. 673.

VIII. Progredimur ad GENNADIUM Maſſi-
ienſem, quem catalogum hæreticorum ſcri-
bere voluiſſe & de omnibus hæreſibus ſcripſiſ-
ſe probare nititur ex ipſo Gennadio Maugui- Maugvin. l. c. p. 528.
nus. Verum Sirmondus nihil amplius Gen- Sirmond. hiſt. Præd. c. 6.
nadium de haereſibus ſcripſiſſe exiſtimat,
quam appendicem quatuor haereſium ad
Auguſtini de haereſibus libellum, idque pro-
bat ex codice MSC. S. Victoris, in quo Augu- Pag. 11.
ſtini libro de haereſibus haec verba ſubne-
ctuntur: *finit relatio S. Auguſtini Epiſcopi de hæ-
reſibus, hæc verò quæ ſeqvuntur à S. Gennadio Pres-
bytero Maſſilienſi ſunt poſita.* Et deinde ſequi-
tur

tur haereſis Neſtoriana, Eutychiana, Praedeſtinatiana & Timotheana. Miratur verò Sirmondus, quo conſilio caſuve factum fuerit, quod in celeberrima Auguſtini operum editione Lovanienſi, cum ex codice Gemblacenſi Gennadiana hæc appendix etſi tacito Autoris nomine proferretur, Prædeſtinatiana omiſſa, tantum tres reliquæ expreſſæ fuerint. Et Lovanienſes quidem Maugvinus eo nomine excuſat, quod in codicibus, quibus uſi ſunt, Prædeſtinatiana hæreſis inter cæteras non comparuerit. At Benedictini qui in nova Auguſtini editione codicibus S. Victoris inter alios uſi ſunt, cur in variis lectionibus Praedeſtinatianam haereſin plane ſilentio prætergreſſi fuerint, ejus conſilii rationem fortaſſe edent, cum in nono operum tomo ad eos Auguſtini libros accedent, qui illas de Praedeſtinatione & gratia controverſias pertractant. Sane ſi Sirmondus adhuc in vivis ſupereſſet, vix temperaturus ſibi eſſet, quin malæ fraudis eos argueret, quod cum tantam lectionum varietatem in Auguſtino ſuo annotaverint, inſignis illius de Prædeſtinatianis particulæ nullam omnino mentionem fe-

nymi

erint. Legi vero hoc Gennadii ſupplemen-
ım de quatuor haereſibus etiam in Hiero-
ymi indiculo, quem Menardus edidit, jam
ıpra monuimus.

IX. Sequitur Cyrenſis Epiſcopus Theo-
oretus, cujus quinque libros hæreticarum
ıbularum nomine inſignitos Ardingelli Car-
inalis ſtudio Græce primum editos & paulo
oſt anno 1545. à Gentiano Herveto Latine Pag. 12.
edditos ac tandem una cum cæteris Theo-
oreti operibus Latine quidem Coloniæ 1567.
: 1573. & 1617. ac Pariſiis anno 1608. Græce
utem & Latine 1642. Jacobi Sirmondi ſtudio
'ariſiis impreſſos denuo habemus. Quo con-
lio vel Sporacius domeſticorum comes opus
oc à Theodoreto efflagitaverit, vel Theodo-
etus in ſe ſuſceperit, Joh. Garnerius in diſ-
ertat. de vita Theodoreti c. 12. ſic exponit:
*beunte (Chalcedone Theodoreto) unus de illuſtriſſi-
is judicibus & ſingulare Theodoreti præſidium man-
atum dedit de explicanda hæreticarum fabularum,
uotquot ab ortu eccleſiæ extiterunt, differentia,
ngulisque catholicorum dogmatum veritate oppo-
enda. Id efflagitavit ſcilicet vir optimus, & in
aucis catholicus, non tam, quod cuperet, ut ſcri-*

*bit Theodoretus, ſcire, quæ utrinque extra viam rectam novatæ ſint ſemitæ, quam ut Theodoreto daret occaſionem atque etiam neceſſitatem fidei ſuæ tot argumentis probandæ, quot hæreſes exponendo damnaret. Opus hoc non laborioſius quam artificioſius. Quantus enim labor ponendus fuit in evolvendis catholicis Scriptoribus, qui in illum usque diem catholicæ fidei cauſam contra hæreſes defenderant! Sed quantæ artis erat, quamque callidæ, ut qui legeret, ſenſim ſine ſenſu per ſe ipſe invidia conſenſionis cum hæreticis oneraret Cyrillum, abſolveret Neſtorium.* Idem argumentum Jeſuita nimis ſuſpicax eadem ſubtilitate tractavit in diſſertat. de libris Theodoreti c. 6. p. 245. ubi inter alia: *volebat Sporatius Theodoretum, dum adverſus omnes hæreſes ſcriberet, opere ipſo calumniam repellere, quam à multis patiebatur, quaſi orthodoxam fidem non ſincere ſequeretur. Theodoretus verò, ut erat ægro animo adverſus Cyrilliana capita callide & occulte hæreſeon quas memoraret, expoſitione oſtendere moliebatur, quibus è fontibus orta videretur hæreſis de una natura, quam*
Pag. 13. *in capitulis propter ambiguas quasdam & flexiloquas voces etiam poſt Cyrilli expoſitionem videre ſibi videbatur.* Et ex eodem principio Garnerius ca-

ıput 11. lib. 4. de hæret. fab. quod de Ne-
orio agit, ſuppoſititium eſſe cenſet p. 251.
: ſqq. At caput illud de Neſtorio Theo-
oretum non minus quam cætera Autorem
gnoſcere teſtantur Leontius de ſectis, Theo-
orus Abbas in argumento ſynodi Epheſi-
ae & Photius in bibl. cod. 46. qui ex hoc
ſo capite, quam exoſus Theodoreto hoc
empore Neſtorius fuerit, demonſtrant.
ſto autem Neſtorianos etiam tum, cum
aereticas fabulas ſcripſit, Theodoretum fa-
entem habuiſſe, & caput illud, quod Ne-
orianos caeteris haereticis adjungit, Theo-
oreto ſupponi, cum etiam in hiſtoria eccle-
aſtica certamina illa Neſtoriana Theodo-
etus non attigerit, ne vulnus jam prope
opitum ac ſanatum refricaret, neve tumul-
ıs ac perturbationes eccleſiae, quarum ipſe
ıaxima pars fuerat, commemorando, aut
ınctiſſimos Antitiſtes offendere, aut ſemet-
ſum reprehendere cogeretur, ut Valeſii
erba mea faciam: perſuadere tamen mihi
ondum potui, Theodoreto in univerſo ope-
e haereticarum fabularum nihil aliud pro-
oſitum fuiſſe, quam ut ſub aliorum haere-

ticorum nominibus Cyrillum & caeteros orthodoxos traduceret. Neque diffiteor majorem eſſe meam ſimplicitatem, quam ut tanta fraudum & verſutiæ myſteria mentis acie penetrare poſſim, quanta etiam in eccleſiaſtica Theodoreti hiſtoria Garnerius vidiſſe ſibi viſus eſt.

X. Ad ſextum ſeculum pergenti occurrit extremis illius ſeculi temporibus LEONTIBUS Byzantinus, cujus excerpta de ſectis haereticorum decem actionibus diſtincta & interprete Johanne Leunclavio una cum legatione Manuelis Comneni ad Armenos ſeu Theorianicum catholico diſputatione
Pag. 14. Baſileæ 1578. edita ad Neſtorianos & Eutychianos ſectasque inde natas inprimis ſpectant, ex parte tamen etiam Manichaeorum, Sabellianorum, Samoſatenianorum, Arianorum, Macedonianorum, Apollinariſtarum & Origeniſtarum errores ibi recenſitos & confutatos videas.

XI. Ineunte ſeptimo ſeculo claruit ISIDORUS Leandri fratris in Hiſpalenſi Epiſcopatu Succeſſor, cujus opera ſuperiori ſeculo Margarinus de la Bigne & noſtro Jacobus

bus à Breul Monachus S. Germani à Pratis cum doctorum virorum in quosdam Iſidori libros notis Lutetiae in lucem publicam emiſit. Inter haec Iſidori opera comparent libri Originum, quos etiam cum Martiano Capella Bonaventura Vulcanius edidit. In his autem Iſidori Originibus libri octavi caput 3. de haereſibus in genere, caput 4. de haereſibus Judæorum & caput quintum de hæreſibus Chriſtianorum agit. Et hic hæreticorum catalogus ab Iſidoro ſcriptus repetitur à Gratiano part. 2. decreti cauſ. 24. qv. 3.

XII. Iſidoro Hiſpalenſi jungimus Anastasium Hodegi à Gretſero A. C. 1606. editi autorem. Quamvis enim plerique hunc Hodegum ab Anaſtaſio Sinaita Antiocheno Epiſcopo, qui ſeculo 6. ad exitum vergente denatus eſt, ſcriptum aſſerant, haud ſpernenda tamen videntur argumenta, quibus Dallaeus & Albertinus Anaſtaſium hodegi autorem & ab Anaſtaſio Sinaita & ab altero Anaſtaſio Sinaitæ ſucceſſore ac itidem Epiſcopo Antiocheno diſtinguendum & utroque juniorem probant. Quod autem Anaſtaſii hodegum hic memoramus, in cauſa eſt, quod Dall. de ſcript. Dionyſ. p. 187. 188. Edm. Albert. de Euchar. lib. 3. p. 903. 904.

 quar-

quartum hodegi illius caput in præfatione, & ſubjuncto indice hoc titulo ſignetur: ἐξήγησις καὶ ἐπιτομὴν περὶ τῶν αἱρέσεων τῆς ἀρχῆς ἕως Νεστορίου καὶ Σευήρου Pag. 15. h. e. interprete Gretſero, *brevis expoſitio omnium qui hæreſes introduxerunt usque ad Neſtorium & Severum*, quamvis fatendum ſit, in iſta hæreticorum recenſione pleroſque tantum nominetenus referri.

XIII. Idem fecit SOPHRONIUS Hieroſolymitanus eodem ſeculo Antiſtes. Is enim in epiſtola ſynodica, quæ in Act. XI. ſexti concilii generalis legitur, poſt prolixam fidei confeſſionem hæreticis anathema dicturus, longam hæreticorum ſeriem contexit, & nonnullorum hæreſes breviter exprimit, reliquos verò tantum nominetenus perſtringit.

XIV. Eodem ut videtur ſeculo TIMOTHEUS Presbyter Conſtantinopolitanus de differentia eorum, qui ab hæreticis accedunt ad Chriſtianam fidem, libellum ſcripſit, quos in tres ordines diſpeſcit. Primus eorum eſt, qui baptiſmo indigent, ſecundus eorum, qui non baptizantur ſed tantum unguntur, tertius illorum, qui neque baptizantur neque unguntur, ſed tantum errores ſuos execrantur. Libellum

.um illum ſeu potius libelli compendium vel .ndicem Margarinus de la Bigne Tomo VI. ɔibliothecæ Patrum edidit. Totus enim :ractatus, qualis ibi extat, vix dimidiam paginam complet, & nomina tantum hæreticorum continet. Integriorem codicem :umque Græcum nactus Franc. Turrianus Latine reddidit, cujus Latinam verſionem Poſſevinus in apparatu ſuo ſacro edidit. Poſtea Græce quoque hanc Timothei hæreſiologiam Johannes Meurſius Lugduni Batavorum 1619. cum aliis quibusdam opuſculis, quibus Variorum Divinorum nomen fecit, publicavit. Præterea Franciſcus Combefiſius in auctario novo bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ novam libelli hujus editionem notis ſuis illuſtratam typis imprimi curavit, iterumque aliam cum nulla priorum editionum ex aſſe convenientem Cotelerius in monumentis eccleſiæ Græcæ publicavit, quin & huic aliam breviorem ex Niconis Pandecte ſubjecit. De utraque ipſe Cotelerius in notis videri poterit, ubi etiam inter Balſamonis opera hunc Timothei libellum latine editum animadvertit.

Poſſevin. appar. Tom. II. p. 499.

Combefiſ. auct. nov. Tom. II. p. 449.

Pag. 16.

Cotel. eccleſ. Græc. mon. Tom. 3. p. 377.

XV. In-

XV. Inter octavi ſeculi Scriptores non incelebre nomen eſt JOHANNIS DAMASCENI, qui hæreticorum ſectas & errores peculiari libro ad ſua usque tempora perduxit. Ac primum quidem 80. illas hæreſes recenſet, quas Epiphanius in ſuo Panario pertractavit, poſtea verò Neſtorianos, Eutychianos aliosque hæreticos ſubjungit. Hunc Damaſceni de hæreſibus librum à Joachimo Perionio latine redditum inter reliqua ejus opera invenire licet. In recentioribus Damaſceni editionibus partim latine tantum, partim græce & latine legitur. Quos defectus paucis abhinc annis ſupplevit Johannes Baptiſta Cotelerius, qui tomo primo monumentorum eccleſiæ Græcæ inter alia hunc Damaſceni tractatum ex codice regio integrum græce edidit, nova latina verſione exornavit, & eruditas notas inſuper adjecit.

Cotel. eccleſ. Græc. mon. tom. I. p. 278. ſqq.

XVI. PAULINUM AQUILEJENSEM in ſexto adverſus Felicem Urgelitanum libro alias etiam primitivæ eccleſiæ hæreſes enumerare aliunde didici, nempe ex Zimmerman. diſſert. de accept. th. 6. qui hos Paulini libros citat ex bibliothec. Patr. Tom. 4. part. 2. uſus

for-

ırte una ex poſtremis Pariſienſibus Editio-
ibus. Nam in prima & ſecunda Pariſienſi,
: & in Colonienſi & Lugdunenſi editione
on comparent. Cum verò inſpiciendi ſe-
tem illos libros, quos Paulinus contra
elicem ſui temporis haereticum elucubraſ-
: dicitur, copiam impetraſſem, ALCUINI Pag. 17.
ilicet opera adeptus, cui ſeptem contra Fe-
cem libros ut genuino Autori reſtituit An-
reas du Cheſne ſeu Quercetanus, qui A. C.
617. Pariſiis Alcuini opera in lucem publi-
am emiſit, ad quorum calcem etiam veri
'aulini adverſus Felicem opus tribus libris
onſtans evulgavit, hæc inquam Alcuini o-
era adeptus, neque in ſeptem illis libris, qui
actenus ſub Paulini Aquilejenſis nomine
rodierant, neque in tribus veri Paulini ad-
erſus Felicem libris ejusmodi veterum hæ-
eſiarcharum hiſtoriam deprehendere potui,
ualem in ſexto adverſus Felicem libro repe-
iri ex B. Zimmermanni fide mihi perſuaſe-
am. Quamobrem ex indice Autorum hæ-
eſiologicorum, quem in fronte hujus præ-
ationis poſui, Paulini & Alcuini nomina ex-
ungenda ſunt.

D XVII.

XVII. Ex nono ſeculo inter veteres Hæreſiologos numerandus eſt Rabanus Maurus. Is enim non ſolum in libro de univerſo c. 9. Judæorum hæreſes recenſet, ſed etiam lib. 2. de inſtit. Cleric. c. 58. hæreticorum, qui & apud Judæos & apud Chriſtianos exorti ſunt, catalogum exhibet. Notandum tamen, hunc Rabani Mauri catalogum ab Iſidori Hiſpalenſis catalogo ſupra memorato tantum variis quibusdam lectionibus differre, etſi Rabanus Iſidorum, ex quo iſtum hæreticorum catalogum deſcripſit, haud nominaverit, ſufficere ratus, quod in præfatione librorum de inſtitutione Clericorum confeſſus fuerit, ſe nonnunquam in hoc opere aliorum verba quam ſua uſurpare maluiſſe.

Rab. Maur. tom. I. Oper. p. 86. Tom. VI. Oper p. 32.

XVIII. Hos longo intervallo proximus ſequitur, qui ſeculo 12. floruit, Euthymius Zigabenus, ord. S. Baſilii Monachus, cujus panopliam dogmaticam adverſus hæreſes Alexii Comneni mandato digeſtam eiusdem Imperatoris filia Anna Comnena egregie commendat. Socias in hoc opere operas cum Euthymio junxiſſe Johannem cognomento

Ann. Comn. Alexiad. lib. 15. p. 490:

Pag. 18.

nento Furnum Græcus quidam Autor tradit, quem falſi arguit Leo Allatius. Latine interpretatus eſt hanc Euthymii panopliam, Franciſcus Zinus Veronenſis Lugduni & Venetiis excuſam, & poſtea Patrum quoque bibliothecis inſertam. Quamvis autem non tam hæreſium hiſtoria quam earundem refutatio hac panoplia quoad maximam eius partem contineatur, ex ipſa tamen confutatione, qualis hæreticorum ab Euthymio confutatorum error fuerit, haud difficulter cognoſcitur. Allat. de conſ. eccl orient. & occid. lib. 2. c. 10.

XIX. Tulit idem ſeculum Johannem Zonaram, qui præter alia ingenii ſui monumenta canonem acroſtichum reliquit Deiparæ Virgini Mariæ conſecratum, in quo præcipuos hæreticos eorumque errores breviter perſtringit. Extat hic canon Zonaræ Latine ex interpretatione Genebrardi Tom. 12. bibliothecæ Patrum Colonienſis, & tom. 23. edit. Lugdunenſis. Græcum textum adiecit & nonnulla à Genebrardo omiſſa ſupplevit Joh. Baptiſta Cotelerius, qui hunc Zonaræ canonem inter alia Græcæ eccleſiæ monumenta tomo 3. iterum vulgavit. Nec

minus ad hoc ſeculum referendi HONORIUS Auguſtodunenſis, cujus libellus de hæreſibus etiam ſeorſim Baſileæ, Helmſtadii & alibi excuſus in bibliothecis Patrum extat, & CONSTANTINUS HARMENOPULUS Nomophylax & Judex Theſſalonicenſis, cujus de ſectis libellum una cum Leontio ſupra memorato græce & latine Leunclavius edidit, ut alias editiones taceamus. Ad duodecimum autem ſeculum Harmenopulum retuli communiorem ſententiam ſecutus, etſi Seldenus ducentis amplius annis eum recentiorem faciat, ac vulgo exiſtimari ſolet. Cuius controverſiæ accuratius examen Clariſſimi cujusdam Viri, qui ſe in obſervationibus ad Scriptores eccleſiaſticos ea de re propediem acturum indicavit, induſtriæ relinquo.

de ſynedr. lib. 1. p. 393. 394.

Pag. 19.

XX. Proximo ſeculo, quod eſt decimum tertium, NICETAS Acominatus Choniates, magnus Logotheta & ſacro cubiculo Præfectus, Inſpector & Judex veli theſaurum orthodoxæ fidei conſcripſit, cujus maximam partem temporum injuria intercidiſſe, & quinque tantum libros ex reliquorum naufragio ſupereſſe docet Labbeus. Verum

rum

rum Petrus Morellus, qui quinque illos libros Latine à ſe redditos A. 1579 & iterum 1592. notis & indice auctiores edidit, in præfationibus ſuis indicat, ſe 27. ejus theſauri libros habuiſſe, & queritur, quod ob tempeſtates à Poſſiaco conventu obortas integrum opus edere non potuerit. Et Cl. quoque Cave ſe 27. illius theſauri libros pulcherrime deſcriptos Græce in bibliotheca Bodlejana vidiſſe aſſerit. Cæterum è quinque libris, qui editi ſunt, imprimis huc ſpectat liber quartus, qui quadraginta & quatuor hæreſes ante-Arianas exponit, & liber quintus, quo Arianorum & Eunomianorum deliria confutantur. de Script. eccl. Tom. 2. p. 109 hiſtor. liter. p. 702.

XXI. Seculo decimo quarto currente MATTHÆUS BLASTARES Hieromonachus ſyntagma Alphabeticum rerum omnium, quae in ſacris divinisque canonibus comprehenduntur, elaboravit, à Gulielmo Beveregio in Pandectis ſacrorum canonum Oxonii 1672. editum, cujus caput ſecundum de haereticis agens haud paucas primitivæ eccleſiæ hæreſes enarrat. Inter Latinos autem ejus ſeculi Scriptores occurrit GVIDO de PER-

PINIANO Ord. B. Mariæ in monte Carmelo Prior Generalis, deinde Majoricenſis in inſulis Balearibus, & demum Elvenſis Epiſcopus & Inquiſitor fidei generalis, cujus opus de hæreſibus excuſum eſt Pariſiis 1528.
Pag. 20. nec non Coloniæ 1655. opera Johannis Geineri, una cum eiusdem Perpiniani concordia evangelica, ubi etiam Trithemii aliorumque de Guidone eiusque ſcriptis judicia videantur. Agit autem Guido in illo opere primum de hæreſi in genere, deinde de erroribus Judæorum, Græcorum, Jacobitarum, Georgianorum & Armenorum, poſtea de hæreſibus ab Auguſtino & Iſidoro commemoratis, ac tandem de ſectis, quæ poſt Auguſtinum & Iſidorum exortæ ſunt.

XXII. Idem labor haud paucos ſuperioris & noſtri ſeculi Scriptores occupavit. Teſtantur id BERNHARDI LUXENBURGENSIS Prioris Dominicani & Profeſſoris Theologiæ in Academia Colonienſi catalogus hæreticorum alphabeticus, GABRIELIS PRATEOLI elenchus omnium hæreticorum itidem alphabeticus, ALPHONSI à CASTRO libri adverſus hæreſes, in quibus

bus loci communes doctrinae ſacrae juxta ordinem alphabetium digeſti ita exponuntur, ut ſimul quoque haereſes, quae doctrinae illi adverſae ſunt, recenſeantur, THEODORI PETERI catalogus haereticorum, BONAVENTURÆ MALVASIÆ catalogus haereticorum, cuius eruditionem ex eo Labbeus æſtimandam relinquit, quod catalogum ſuum *cathalogum* inſcribat, DANIELIS CRAMERI arbor haereticae conſanguinitatis, ut Pontanum, aliosque plures, qui vel integros libros, vel integras librorum partes & capita recenſendis haereſibus deſtinarunt, ſilentio involvam. Etſi vero plures in evolvenda veterum haereſium hiſtoria occupati fuerint, opus tamen accuratum de haereticis praecipue antiquis adhuc deſiderari Viri quidam doctiſſimi obſervant. Ac licet ipſe tantae molis aggredi non auſim, nec à mea tenuitate eiusmodi opus aggredi non auſim, nec à mea tenuitate eiusmodi opus expectari poſſit, quod eruditorum deſideriis ſatisfaciat, non ingrata tamen fortaſſe hiſtoriae eccleſiaſticae Studioſis

biblioth. bibl. p. 31.

ſis erunt, quae ad illuſtrandam haereſiarcharum aevi apoſtolici & apoſtolico proximi hiſtoriam in hac qualicunque diſſertatiuncula collegi, cuius priorem partem haereſiarchis primi ſeculi, poſteriorem ſecundi à Chriſto nato ſeculi haereſiarchis deſtinavi. Deus cœptis his clementer annuat! Te vero B. L. ut hoc quicquid eſt aequi bonique conſulas, amice rogo.

DIS-

Digitized by Google

# DISSERTATIO.
## DE
# HÆRESIARCHIS
## ævi Apoſtolici & Apoſtolico proximi.
## SECTIO I.
## DE
## HÆRESIARCHIS ævi Apoſtolici.
### CAPUT I.
### de
### Doſitheo & Doſitheanis.

I.

Quamvis Apoſtolorum ævo hæreſes fuiſſe Firmilianus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, nec non Clemens Alexandrinus & alii negare videantur, contrarium tamen & ipſi Apoſtoli & alii Scriptores eccleſiaſtici teſtantur. Et Hippolytus quidem Irenæi Diſcipulus ſyntagma ſuum adverſus 32. hæreſes Photio teſte à DOSI-

Firmil. epiſtola ad Cypr. quæ eſt inter Cyprianicas 75. Clem. Alex. lib. 7. Strom. p 549.

Phot. bibl. cod. 121.

(*Pag.* 22.)

THEANIS auſpicatus eſt. Certe inter primos, qui falſa doctrina eccleſiam corruperunt, fuiſſe Doſitheum, Hegeſippus quoque apud Euſebium teſtis eſt. Neque diſſentit Origenes, qui Doſitheum hunc Samaritanum cum conterraneo & coætaneo ſuo Simone Mago aliquoties conjungit, eumque ſe pro Chriſto à Prophetis prædicto venditaſſe tradit. Idem Origenes in opere περὶ ἀρχῶν & in philocalia ſuperſtitioſam Doſithei circa ſabbathi cultum opinionem perſtringit, & in commentariis ad Johannem Doſitheanos Magiſtri ſui libros circumtuliſſe ejusque immortalitatem falſis rumoribus jactaſſe narrat.

Euſeb. lib. 4. H E cap. 22. Orig. tract. 27. in Matth. lib 1. contr. Celſ. p. 44. & l. 6. pag. 282 edit. Spencer. Orig Per'arch lib 4. c. 2. Philoc c 1. p. 36. edit. Tarin. Tom. II. Orig. Huet. p. 219 220. Orig. lib. 6. contra Celſ. p. 282. Phot. bibl cod. 230. pag. 466. 467. edit. Gr. pag. 321, 322 edit. Lat.

II. Quamvis verò Doſitheani Origenis ævo tantum non plane extincti viderentur, ut ipſe in libris contra Celſum teſtatur, ubi vix triginta ſupereſſe ſcribit, Eulogii tamen Alexandrini ætate adhuc ſuperfuerunt, qui Moſaicum de excitando magno Propheta oraculum non in Jeſu Nazareno ſed in Doſitheo impletum ſomniarunt, ſiquidem Eulogius coacta frequentiſſima Synodo hanc Doſitheanorum factionem damnavit, ut ex Eulogii decreto conſtat, quod in bibliotheca ſua Photius excerpit. Et ex eodem Eulogii decreto patet, Doſitheum Prophetis & Judæ Jacobi Patriarchæ filio minus æquum fuiſſe, ſibi verò ipſi omnia vaticinia & divinitatem arrogaſſe, ſacros codices variis corruptelis adulteraſſe, eorumque loco alios libros portentis plenos conſarcinaſſe, reſurrectionem negaſſe, mundum incorruptibilem, animam corruptibilem ſomniaſſe & nullum aliud dæmonum genus quam idola ſeu ſimulacra agnoviſſe. Habita eſt illa ſub Eulogio Synodus anno ſeptimo Marciani, ut apud Photium & in Græca Höſchelii & in Latina Schotti editione legitur. Verum cum Eulogius non ſub Marciano ſed ſub Mauricii imperio floruerit, pro Martiani nomine Mauricii nomen ponendum eſſe non eſt quod dubitemus.

(*Pag.* 23.)

Epiph hæreſ. 13. Hier. dial. adv. Lucifer. cap 8. Tertull. de præſcript. c. 45 Philaſt. de hæreſ. c. 4.

III. Cæterum ab hoc Doſitheo Apoſtolis coævo diſtinguendus videtur Doſitheus ab Epiphanio, Hieronymo, Autore appendicis ad Tertulliani librum de præſcriptionibus, Philaſtrio, Damaſceno & aliis inter hæreticos ante Chrriſti ætatem exortos numeratus. De utroque Doſitheo differentes conferantur è recentioribus Serarius in trihæreſio & Minervali, Druſius in tra-

ctatu

ſtatu de ſectis Judaicis, Joſephus Scaliger in elencho trihæreſii Serariani, Lupus in ſcholiis ad Tertullianum, Stephanus Le Moyne in notis ad varia ſacra, Caſaubonus in exercitationibus Anti-Baronianis, Montacutius in apparatu ad origines eccleſiaſticas, & Ligtfootus in horis Talmudicis, ubi refutat nugas Judæorum fabulantium, quod Doſitheus ad novos Samariæ incolas, ne à leonibus diſcerperentur, in Lege divina informandos eo tempore miſſus fuerit, quo Rex Aſſyriæ juxta 2. Reg. XIV. abductis Jſraëlitis Samariam novis gentibus incolendam dedit.

Damaſc de hæreſ. c 13. Serar. trihær. lib. 2. c. 19. in M nerv. lib. 4. c. 10. 11. 12. Druſ. lib. 3. c. 4. 5. 6. Scal. elench. c. 15. Lupus. p 533. Lemoyne. p. 1099. Caſaub. exerc. 1. ad appar. n. 8. Montac. in appar. 7. pag. 265. & 283. Ligtfootus diſquiſ. chorogr. ad Joh. pag. 934.

# CAPUT II.

## de

## Simone & Simonianis.

I.

DOſitheum à diſcipulo ſuo SIMONE principatu dejectum, in conſtitutionibus Apoſtolicis narratur. Idem traditur in Clementis Romani recognitionibus, ubi refertur Doſitheum triginta diſcipulos pro numero dierum menſis, & mulierem quandam nomine Lunam in conſortio ſuo habuiſſe. Deinde verò uni ex triginta illis diſcipulis defuncto Simonem ſurrogatum Lunam illam deamare & Magiſtro ſuo derogare cœpiſſe, eamque ob cauſam aliquando virga fuiſſe correptum, cum verò virga per corpus Simonis tanquam per fumum tranſiiſſet, ſtupefactum Doſitheum in terram cecidiſſe & ipſum adoraſſe. Et hunc Simonem plerique in fronte collocant, qui Apoſtolici ſeculi hæreſes recenſent.

Conſtit. Apoſtol lib. 6. c. 8. Clem. Rom. (*Pag.24.*) recogn. lib. 2. p. 31. & 32.

Act. VIII, 9. II. Hic ipſe vero Simon apud Samaritanos ſe magnum aliquem eſſe jactavit, ut Lucas in Actis Apoſtolicis teſtatur. Nimirum ſe in Samaria ut Patrem deſcendiſſe, in Judæa ut Filium & reliquis gentibus ut Spiritum S. apparuiſſe, impudentiſſimus
Irenæus lib. 1 adv. hær. c. 20. impoſtor gloriatus eſt, ut Irenæus tradit, qui & hoc addit, quod Simon dixerit, ſe eſſe ſublimiſſimam virtutem, hoc eſt eum, qui ſit ſuper omnia Pater, & ſuſtinere ſe quocunque nomine vo-
Auguſtin. de hæreſ. c. 1. cari. Si Auguſtinum audiamus, dixit Simon, ſe in monte Sina Legem Moſis in Patris perſona dediſſe Judæis, tempore Tiberii in Filii perſona putative apparuiſſe, poſtea ſe in linguis igneis Spiritum Sanctum in Apoſtolos veniſſe. Nec dictis modo, ſed
Hier. Tom. 9. Oper. edit. Baſil. p 35. & ſcriptis ſe eſſe aliquem magnum mentitus eſt. Hieronymo enim teſte in ſuis voluminibus hæc quoque proferre auſus eſt: *ego ſum ſermo Dei, ego ſpecioſus, ego Paracletus, ego omnipo-*
Petav. in not. ad Epiph. p. 41 *tens, ego omnia Dei.* Atque hinc aliquis cum Petavio mirari poſſit, cur Epiphanius Simonem Magum ullam ſibi appellationem indidiſſe neget, cum tamen ex Irenæo, Hieronymo aliisque conſtet, Simonem & ſeipſum multis magnis nominibus extuliſſe, & ab aliis tanto nominum apparatu efferri voluiſſe.
(*Pag.* 25.) Verum hæc non difficulter conciliari poſſunt. Nam nullum
Conf. Cotel. not. ad Eccl. Græc. mon. tom. 1, p. 763. determinatum nomen ſibi dedit, qui omnibus nominibus ſe parem cenſuit.

III. Dum verò Simon apud Samaritanos tanto ingentem ſe clamore ferebat, omnium Samaritanorum oculos adeo in ſe convertit, ut juxta Lucam non ſolum tenuioris fortunæ & conditionis homines, ſed etiam in maximis dignitatibus conſtituti ad
Act. VIII, 10. ipſum intenderent dicentes: ȣ̃τός ἐςιν ἡ δύναμις τȣ̃ Θεȣ̃ μεγάλη
Juſtin Mart. apol. 2. p. 69. *hic eſt virtus DEI magna.* Imo, ſi Juſtino Martyri fides adhibenda, Samaritani pæne omnes Simonem Magum quaſi primum Deum & ſupremum inter omnia Numen eſſe profitebantur. Cauſam verò, quæ Samaritanos permovit, ut tantum Simoni tri-
Act VIII, 9, 11. buerint, Lucas intactam non reliquit, cum Simonem magicis ſuis præſtigiis, quas per tempus bene longum Samariæ exercuerat,
Nicephorus lib. 2. hiſt. eccl c. 27. Samaritanorum oculos & animos faſcinaſſe ſcribit. De quibus Simonis præſtigiis qui plura legere cupit, Nicephorum & Pſeudo-

do-Clementem Romanum adeat, qui referunt, Simonem flammas illæſum tranſiiſſe, in aërem volaſſe, ex lapidibus panes feciſſe, in varias ſpecies ſe transmutaſſe, occluſas fores verbo aperuiſſe, per montes & ſaxa tranſiiſſe, arbores & virgulta produxiſſe, aliaque hujusmodi viribus humanis majora perpetraſſe. Addit Lucas, Simonem à Philippo converſum & baptizatum poſt baptiſmum ad vomitum rediiſſe, & poteſtatem Spiritus S. chariſmata conferendi, ne quid ad oſtentationem & quæſtum ſibi deeſſet, ambiviſſe, eoque nomine Apoſtolis pecuniam obtuliſſe, ſed ob id factum graviſſimam Petri cenſuram incurriſſe. Et poſt illud Simonis Petri cum Simone Mago colloquium de Simone Mago in ſacro codice nihil amplius occurrit, niſi quod nonnulli, ut inferius videbimus, Paulum alioſque Apoſtolos in ſuis epiſtolis ſubinde ad Simonis Magi doctrinam & geſta reſpicere, contendunt.

Clemens recognit. lib. 2, Act. VIII, 13, 18, ſqq. (Pag. 26.)

IV. Tertullianus verò in libro de anima refert, Simonem Magum eadem pecunia, qua Spiritum S. licitari auſus fuerat, ex loco publicæ libidinis ſcortum redemiſſe, eamque Simonis ſociam Irenæus & Auguſtinus Selenen, ſeu ut Clemens in recognitionibus Latino vocabulo nomen illud exprimit, Lunam, Tertullianus verò & ante eum Juſtinus M. & poſt Tertullianum Epiphanius, Hieronymus & cæteri plerique Helenam appellant. Et hinc Simoniani Heleniani quoque dicti ſunt, etſi Celſus apud Origenem incertus ſit, num ab Heleno an ab Helena cognomentum illud adepti fuerint, quem in locum Spencerus in notis videatur. Hanc verò Helenam primam animi ſui conceptionem ſeu intentionem Simon appellavit, eamque à ſe ſummo Patre ſcilicet egreſſam, & ad inferiora lapſam, cum Angelos mundi opifices creaſſet, ab iisdem detentam in varia muliebria corpora transmigraſſe, & Trojani belli tempore illam ipſam Helenam fuiſſe, quæ Trojanis perniciem attulit, ſe verò ut ovem illam perditam quæreret eamque ab angelicis poteſtatibus liberaret, & per ſui cognitionem univerſo humano generi ſalutem afferret, forma fallendis angelis idonea deſcendiſſe ſomniavit, ut Irenæus, Tertullianus & Epiphanius locis proxime citatis, & cum his Theodoretus & alii referunt, qui etiam Simonianos Magiſtrum ſuum in Jovis, Helenam verò in Minervæ figura adoraſſe tradunt.

Tertull. de anim. c. 34. Iren. lib. 1. cap. 20. Aug. de hæreſ. c. 1. Tertull. de anim. l. c. Juſtinus, apol. 2. p. 69. Epiph. hæreſ. 21. Hieron. in epiſt. ad Cteſiphont. adv. Pelag. Orig lib. 5. contr. Celſ. p. 272. Theodoret. lib. 2. hæret. fabul. cap. 1.

V. Qui publicum illud proſtibulum ſibi adjunxit, alienæ quoque libidinis adjutor fuit. Cum enim Claudius Felix Judeæ Procurator Druſillam quandam à ſe viſam adamare cœpiſſet, Simonis Magi miniſterio uſus eſt, qui Druſillæ, ut repudiao legitimo ſuo marito, Felici nuberet, perſuaſit, ut Joſephus memorat, ubi tamen non diſſimulandum, Simonem illum Magum, cujus Joſephus meminit, eam ob rationem à Simone Mago ætatis Apoſtolicæ hæreſiarcha diverſum videri, quod hic Gitthas Samariæ oppidum patriam habuerit, ille verò juxta Joſephum patria Cyprius fuerit, niſi cum Le Moynio dicamus, quod Simon Magus hæreſiarcha perperam à nonnullis Γιττιὺς ſeu Gitthæus dicatur, cum Κιττιεὺς potius ſeu Κιτταῖος à celebri Cypri oppido dici debuiſſet. Haud minus dubium eſt, quod à Baronio aliiſque aſſeritur, impoſtorem nempe illum, qui, ut Joſephus alibi narravit, Samaritanos in monte Garizin congregavit, à Pilati exercitu poſtea diſperſos & fugatos, Simonem fuiſſe.

(Pag. 27.) Antiquitat. Judaic. lib. 20. c. 5. p. 693. Le Moyn. pro leg. ad var. ſacr. * 182. b. Baron. tom. I. annal. ad A. C. 35. Joſeph. antiq. Jud. lib. 18 c. 5

VI. Verum à Joſepho ad Scriptores eccleſiaſticos redeamus, è quibus Juſtinus Martyr & hunc ſecuti Irenæus, Tertullianus aliique plures Simonem Magum à Romanis pro DEO habitum, & ſtatua in amne Tiberi inter duos pontes erecta honoratum tradunt, quæ relatio extra omnem dubitationis aleam poſita minime videtur. Etſi enim Spencerus dubio electori ſatisfactum iri putet, ſi Baronium & Hammondum adeat, diffiteri tamen non poſſum, magis mihi ſatisfacere eorum conjecturam, qui cum Heraldo, Voſſio, Salmaſio, Valeſio, Spanhemio & aliis ex marmorea baſi Romæ A. C. 1574. effoſſa colligunt, Semoni Sango Deo Fidio conſecratam fuiſſe ſtatuam, quam Juſtinus Martyr Romanæ linguæ non adeo peritus Simonis Magi nomine notatam & ſibi & aliis perſuaſit. Nec me ab hac ſententia dimovere potuit Petrus Halloixius, etſi pro tuenda & vindicanda Baronii ſententia omnem moverit lapidem.

Juſtin. apol. 1, pag 69 & 91. Iren l. 1. c. 20 Tertull. apolog. c. 13. Spenc. not. ad Orig p. 32. Baron. ad A. C. 44. Hamm. diſſ. 1. c. 9. de jur. Epiſcop Herald. ad Tertull. apol. c. 13. Voſſ. lib. 1. de Idol. c. 12. Salmaſ. not. ad Spart. Valeſ. not. ad Euſebium. Spanhem. de Petri in urb. Rom. profect. pag 149.

VII. Æque incerti ſunt varii iſti diſputationum & miraculorum conflictus, quos Simonem Petrum inter & Simonem Magum cum alibi tum Romæ agitatos nonnulli referunt. Imo potius

Halloix. tom. 2. de vit. & doct. illuſtr. Orient. eccl. Script. p. 382.

tius meris nugis & fabulis plena ſunt, quæ de iſtis utriuſque Simonis congreſſibus tradidere Cedrenus, Nicephorus, Glycas & Marcellus, Marci Præfecti urbis Romæ filius, & individuus ſcilicet Petri comes, qui acta horum certaminum rogatu Chriſtianorum fideliter literis conſignaſſe perhibetur in fragmento, quod ex breviario quodam Flaviniacenſi in bibliotheca ſua Pontificia Ludovicus Jacobus à S. Carolo publicavit. Neque hic ſilentio prætermittendus, qui ſub Clementis Romani nomine recognitionum libros edidit. Is enim varias Petri cum Simone Mago diſputationes exhibet, cum prius etiam de vita Simonis Magi nonnulla retuliſſet, & inter alia commemoraſſet, quod Simon Magus *Stantis* nomen affectaverit, eo quod negaret, ſe aliquando poſſe diſſolvi, & aſſereret carnem ſuam ita divinitatis ſuæ virtute eſſe compactam, ut in æternum durare poſſet. Et huc fortaſſe reſpexit Clemens Alexandrinus, cum de Simonianis ait: οἱ ἀμφὶ Σίμωνα, τῷ ἑστῶτι, ὃν σέβουσιν, ἐξομοιοῦσθαι τὸν τρόπον βούλονται i.e. qui circum Simonem ſunt, Stanti, quem colunt, moribus aſſimilari volunt.

(Pag. 28.) Cedren. comp. hiſt. p. 206. Nicephor. lib. 2. c. 27. Glyc. in annal. p. 235. Ludov. Jac. à S. Car. in biblioth. Pontif. p. 484. ſqq.

VIII. Stantem verò illum turpiſſime cecidiſſe perhibent, qui magicum ejus volatum & præcipitem lapſum referunt, quod faciunt Autor conſtitutionum Apoſtolicarum, Arnobius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Ambroſius, Sulpitius Severus, Hegeſippus aliique, è quibus Iſidorus Hiſpalenſis, *Simon Magus*, inquit, *cum altercationem propoſuiſſet cum Petro & Paulo, dicens ſe quandam virtutem DEI eſſe magnam, medio die, dum ad Patrem volare promittit in cælum, à dæmonibus, à quibus in aëre ferebatur, adjurante eos Petro per Deum, Paulo autem orante, dimiſſus crepuit.* Quam narrationem admodum ſuſpectam reddunt magnus Autorum iſtorum in circumſtantiis diſſenſus, & Juſtini, Irenæi, Tertulliani, atque Euſebii ſilentium. Et forte ad Simonem Magum tranſlata, quæ Svetonius in Nerone c. 12. de novo quodam Icaro retulit, cum ait: *Icarus primo ſtatim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipſumque cruore reſperſit.* Neque hunc Simonis caſum probare poſſunt nummi ingenti

Conſt. Apoſt. lib. 6. c. 9. Arnob. lib. 2. adv. Pagan. Cyrill. catech. 6. Ambroſ. lib. 4. hexaëm. c. 8. Sulp. Sev. lib. 2. c. 41. Hegeſipp. l. 3. de excid. urb. Hier. c. 2. (Pag. 29.) Iſid. Hiſp. chron. p. 268.

pretio

pretio Paulo IV. obtruſi, quorum una facies Neronis caput, altera Petri effigiem exhibet cum inſcriptione: *Petrus Galilæus*, quaſi Nero Petri poteſtatem præ Simo ne Mago agnoviſſet, & hos nummos in perpetuam rei memoriam cudi feciſſet, de quibus poſt Antonium Auguſtinum Daniel Larroquanus in diſſ. de legion fulm. p. 613. videatur. Videant quoque, qui ſtatuam Simoni ut DEO poſitam Juſtinique Martyris ætate divinis adhuc honoribus excultam æque ac publicam ejus ruinam aſſerunt, quomodo hæc inter ſe conciliare poſſint. Nihilo tamen minus Hugo Grotius in

p. 67. ſeqq. appendice ad interpretationem locorum quorundam Novi Teſtamenti utrumque aſſerit, quo loco ulterius confirmare nititur,

p. 28. quod jam in commentatione ad loca quædam Novi Teſtamenti aſſeruerat, nempe, Simonem Magum eſſe hominem illum ἄνομον

2. Theſſ. II, 8. ſqq. quem Paulus mendacibus præſtigiis multos ſeducturum, & Spiritu Oris Chriſti interficiendum pronunciat. Verum ad commentationem illam Grotianam reſponderunt ſub nomine Hippolyti Frontonis Petrus Molinæus, & ſub nomine Johannis Simplicii Samuel Mareſius (non ſub Simplicii Verini nomine

(Pag. 30.) Pol. præf. ad vol. IV. part. 2, Synopſ. bibl. crit. Salmaſius, ut Matthæo Polo viſum eſt) quibus cum Grotius appendicem ſuam oppoſuiſſet, in cujus titulo ſe viam ſternere ad Chriſtianam concordiam gloriatur, denuo Mareſius exuto jam Simplicii nomine Grotio reſpondit, ejuſque appendicem prolixo opere confutavit, cui nomen concordiæ diſcordis & Antichriſti revelati præfixit.

Hammond. diſſ. proœm. 4. diſſertationum de jure Epiſcop. c. 9. 2. Theſſ. II, 1. IX. Conſentit in pleriſque cum Grotio Henricus Hammondus, niſi quod in loco illo Paulino 2. Theſſ II. non modo v. 8. verum etiam antecedentes, quos de Cajo Caligula Grotius explicaverat, de Simone Mago interpretatus eſt. Utque hoc obtineat, I. per adventum Chriſti intelligit adventum Chriſti ad excidium Hieroſolymitanum, & per noſtri ad illum congregationem ſignificari putat copioſiorem ad fidem Chriſti diſcipulorum aggregationem, & majorem cogendorum cœtuum eccleſiaſticorum libertatem, quam poſt Judæorum cladem Chriſtianis ſub Tito & Veſpaſiano contigiſſe dicit. II. per apoſtaſiam, quam Paulus, antequam dies Domini veniat, futuram aſſerit, innui cenſet

v. 3. vel

Digitized by Google

vel Apoſtolorum à Judæis ad gentiles diſceſſum, vel inſignem aliquam Chriſtianorum ad Gnoſticorum caſtra defectionem. III. igitur per ἄνθρωπον ἁμαρτίας καὶ υἱὸν ἀπωλείας per hominem peccati & filium perditionis poſt apoſtaſiam illam revelandum Simonem Magum intelligit ſectatorum ſuorum caterva ſtipatum, qui antea ſe pro Chriſti diſcipulo venditaverit, & inimicitias contra fidem prudenter diſſimulaverit, poſtea vero divinos honores ſibi uſurpaverit. IV. τὸ κατέχον ſeu illud quod Simonem impedivit ac detinuit, quo minus ſe ſtatim Chriſtianorum hoſtem palam oſtenderet, impedimentum inquam illud Hammondus eſſe dicit Moſaicæ legis obſervationem à Chriſtianis tum temporis nondum abdicatam. Hoc enim obſtaculo durante Gnoſticos non in univerſum Chriſto abrenunciaſſe, aut ſe Judæis palam adjunxiſſe, ſed tempus magis oportunum præſtolatos ſecretos admodum & clandeſtinos adverſus Chriſtianam fidem cuniculos egiſſe, & hoc Apoſtolum indicare cenſet, cum μυστήριον τῆς ἀνομίας jam tum operatum eſſe dicit. Poſtea vero cum Apoſtoli ad gentes diſceſſiſſent, & Chriſtianos ad deſerenda Judæorum caſtra & legales ceremonias inſuper habendas animaſſent, tunc Gnoſticorum ſectam exuta Chriſtiani nominis larva Chriſtianos Judæis exoſos reddidiſſe, & quamplurimos Chriſtianos magicis prodigiis, item variarum libidinum carni blandientium illecebris, & promiſſo libertatis privilegio propulſandarumque perſecutionum ſpe ad inquinatiſſimæ ſectæ participationem allexiſſe aſſerit. Atque hinc V. per τὸν ἄνομον revelatum iterum intelligit Simonem & Gnoſticos, quos Deus juſtus vindex Spiritu oris h. e. potentia Verbi ſui, tandemque adventu ſuo ad excidium Hieroſolymitanum oppreſſerit, Petro primum Apoſtolo de Simone Mago ſolenniter triumphante, ſtatimque Romanis aquilis ad Judæorum pariter ac Gnoſticorum ſtragem convolantibus.

v. 6. (Pag. 31.) v. 7. v. 8.

X. Ac in eo quidem Hammondi ſententia Grotianæ præferenda eſt, quod Grotius verſum octavum ab antecedentibus violenter divellat & v. 3. & 4. per hominem peccati & ἀντικείμενον Cajum Caligulam, deinde vero v. 8. per ἄνομον ſublato impedimento revelandum Simonem Magum intelligat, cum tamen utrobique de eodem ſubjecto ſermonem inſtitui ſole clarius ap- (Pag. 32.)



Digitized by Google

pareat. Nihilo tamen minus Hammondo æque ac Grotio obeſt, quod Simonis Magi impietas jam revelata fuit, antequam Paulus Chriſtianam fidem amplecteretur, nedum ſecundam ad Theſſalonicenſes epiſtolam ſcriberet. Abſurdum autem eſt, Paulum præterita prædixiſſe. Quam incerta vero ſint quæ de ſtatua Simoni ut DEO poſita, deque præcipiti ejus per aërem volantis lapſu, aut quadrigis igneis Petri ore diſſlatis referuntur, jam ſupra vidimus, ut cætera argumenta taceamus, quæ Hammondi ſententiam infringunt ab Henrico Moro jam pridem ad examen revocatam.

Mor. part. 2. Myſter. iniq. lib. 2, cap. 19, ſqq.

XI. Quamvis vero de Simonis Magi exitu certi nihil conſtet, tragico tamen & miſerabili exitu dignus omnino fuit. Quanta enim fuerit hominis impietas, ex illis blaſphemiis, quas ſuprà jam attigimus, ſatis elucescit. Nunc vero & alia Simonianæ impietatis capita perſequemur, inter quæ haud poſtremum fuit, quod Deo peccati originem imputavit. Dicere quippe auſus eſt, ſi Vincentio Lirinenſi credimus, quod *Deus omnium ſcelerum & flagitiorum cauſa ſit, quippe qui manibus ipſe ſuis hominum naturam talem creaverit, quæ proprio quodam motu & neceſſariæ voluntatis impulſu nihil aliud poſſit, nihil aliud velit niſi peccare, eo quod furiis omnium vitiorum exagitata & inflammata in omnia turpitudinum barathra inexhauſta cupiditate rapiatur.* Et ad nefandum hoc Simonis Magi dogma reſpicere Jacobum, cum v. 13. cap. 1. epiſtolæ ſuæ Deum neminem ad malum tentare pronunciat, Benedicti Juſtiniani eſt ſententia, qui etiam verſu 17. ejusdem capitis, ubi Apoſtolus ab immutabili luminum Patre omnia bona derivat, alium Simonis Magi errorem perſtringi ſuſpicatur. Ait enim ipſo eccleſiæ naſcentis initio duos graviſſimos errores exortos, & unum quidem autore Simone Mago Deum omnium ſcelerum atque malorum impulſorem affirmaſſe, alterum vero eodem Simone duce atque Magiſtro plura rerum principia conſtituiſſe & alia à bono alia à malo principio condita tradidiſſe. *Priorem errorem*, pergit Jeſuita, *hactenus confutavit Apoſtolus, poſteriorem vero refellere nunc aggre-*

Vincent. Lir. comm. c. 34.

Juſtin. comm in epiſt. Jacob. (Pag. 33.)

*aggreditur.* Verum Jacobus v. 17. non tam novum aliquem errorem refellendum ſuſcipit, quam refutationem verſu 13. cœptam ulterius continuat, ſive contra Simonianos ſive contra alios hæreticos oſtendens, Deum adeo malorum cauſam non eſſe, ut eum potius tanquam bonorum omnium Autorem venerari debeamus. Et non inelegans videtur Georgii Bulli explicatio. Dicit enim à Jacobo duplicem Phariſæorum errorem perſtringi, cum illi & fato & aſtrorum influxui actiones humanas illigaverint, errorem de fato, qui ſaltem conſequenter Deum Autorem peccati facit, à Jacobo v. 13. refutari, cum ait: *nemo cum tentatur dicat ſe à Deo tentari*, alterum vero errorem de aſtrorum vi v. 17. impugnari, ubi Jacobus docet omne bonum & perfectum donum non ab aſtris dependere ſed à Patre luminum h. e. Creatore ſtellarum deſcendere, apud quem nulla παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα; quales mutationes & viciſſitudines in aſtris evenire ſolent. Hæc de ſententia Jacobi. Interim Simonem Magum illo errore, qui duplicem Deum fingit, infectum fuiſſe dubitandum minime videtur. Certe Gregorius Nazianzenus Simonem inter eos hæreticos primo loco nominat, qui rerum omnium Autorem ſecuerunt, bellumque pro bono Deo adverſus Creatorem & Opificem nefario auſu geſſerunt. Et Irenæus Cerdonem Marcionis anteceſſorem dogma ſuum de duplici Deo à Simonianis accepiſſe aſſerit. Simon Magus autem hunc errorem à Magis & eorum Principe Zoroaſtre accepit, à quibus ea veſania etiam ad Pythagoram alioſque Græcos tranſiit, ut ex Laertio, Plutarcho, aliiſque Autoribus à Thomaſio noſtro & Huetio obſervatum eſt.

Bull. harm. Apoſt. Jac. & Paul. diſſ. 2. c. 15.

Nazianz. orat. in laud. Heron p. 547. (Pag. 34.)

Iren. l. 1. c. 28.

Thom. ſchediaſm. hiſt. §. 34. p. 22. Huet. not. ad Orig. p. 2.

XII. Malum illud principium iterum in alias malignas poteſtates diſtribuiſſe videtur Simon, ſiquidem mundum à malignis hujuſmodi poteſtatibus conditum nugatus eſt, à quibus & legem profectam & Prophetas inſpiratos finxit, ut Epiphanius memoriæ prodidit, Theodoretus autem hoc Simonis commentum fuiſſe dicit, quod docuerit infinitam quandam potentiam, eique duplicem operationem aſſignaverit, unam φαινομένην quæ cerneretur, alte-

Epiph. hær. 21 ſect. 4.

Theod. lib. 1. hær. fab. c. 1.

alteram κεκρυμμένην ſeu quæ lateret. Ex iſta vero tres συζυγίας primũ productas ſtatuit νοῦν καὶ ἐπίνοιαν, φωνὴν καὶ ἔννοιαν, λογισμὸν καὶ ἐνθύμησιν. Quod ſi Nazianzenum audiamus, octo æones à Simonianis cultos eamque ob cauſam octonarium numerum ab iis magno in pretio habitum cognoſcemus. Quales autem illi æones fuerint, exponunt Nicetas & Elias Cretenſis in ſcholiis ad Nazianzenum, quos tamen hic non minus ac ipſum Nazianzenum Autor anonymus, quem nunc Matthæum Larroquanum eſſe conſtat, in obſervationibus ad Ignatianas Pearſonii vindicias erraſſe judicavit.

Nazianz. orat. 44, p. 719, Nicet. in ſchol. ad orat 44, p. 720, Elias Cret. ſchol. ad orat. 6, p. 178, & ad orat. 11, pag. 330.

XIII. Etſi autem Simon ſe homines ab Angelorum ſervitute liberaturum promitteret, nihilominus tamen Angelos à ſuis coli & placari voluit, ut ex Tertulliano & Epiphanio manifeſtum eſt. Nolit quidem id Baronius, ne angelorum cultus ab hæreticis profectus videatur, cujus verba contrahens Spondanus, *mirati ſumus*, ait, *ejusmodi errorem tribui Simoni Mago.* Verum Petavius & hunc ſecutus Natalis Alexander mirari hoc Baronium mirantur. Nec deſunt, qui & Paulum Col. II, 18. & Patres concilii Laodiceni can. 35. Angelorum cultum prohibentes ad Simonianos reſpicere cenſeant. Et fortaſſe Simonem hoc erroris caput ab Eſſenis mutuatum, quorum Proſelyti apud Joſephum jurare inter alia tenebantur, ſe nomina Angelorum obſervaturos eſſe, Beveregius in notis ad prædictum canonem concilii Laodiceni ſuſpicatur. Alii tamen à Paulo & Patribus Laodicenis Cerinthianos potius tangi opinantur, qua de re plura inferius dicemus, cum ad Cerinthum pervenerimus, hoc unum interim notantes, Simonianos angelolatriam ſuam non tam ab Eſſenis quam à Magis & è ſchola Platonica mutuatos. Nam & Plato Angelos ſeu dæmones eam ob cauſam coli oportere docet, quia medium locum inter Deum & homines obtineant & interpretis officio fungantur. Qualia à Simone Mago prolata fuiſſe tanto minus mirum eſt, quanto magis eum de religione Chriſtiana cum Paganiſmo miſcenda laboraſſe Hugo Grotius & alii eruditi viri jam pridem obſervarunt.

Tertull. de præſcr. c. 37. Epiph. hær. 21 ſect. 4.

(*Pag. 35.*)

Spond. A. C. LX, 7, Petav. in not. ad Epiphan. hær. 21. Nat. Alex ſec. 1, c. 10, p. 51, Joſeph. lib. 2, de bell. jud. c. 12, Bever. tom. II, Synod. p. 196.

Plato Epinom. p 702.

XIV. Car-

XIV. Carnis reſurrectionem negaſſe Simonem Auguſtinus, Damaſcenus, Anaſtaſius Bibliothecarius & alii teſtantur. Latebat enim Simonem, ut Dionyſius Pſeudo-Areopagita diſſerit, tametſi ſapiens ſibi videretur, eum, qui ſanæ mentis ſit, ſenſus ratione contra abſtruſam omnium cauſam uti non oportere. Ex quo colligitur, Simonem Magum propterea carnis reſurrectionem negaſſe, quod eam contra naturam eſſe diceret. Nam ex eo capite Dionyſius contradictorios illos Simonis ſermones refutat, quod quæ omnem ſenſum & cogitationem ſuperant, per ea quæ humanis ſenſibus & rationi ſubjacent, everti ac deſtrui minime valeant, ut Dionyſii mentem S. Maximus in ſuis ad Dionyſium ſcholiis exponit. Thomaſius vero hoc quoque Simonianæ hæreſeos principio de duobus Diis, quorum unus animam alter corpus creaverit, non diſſentaneum eſſe cenſet, cum animæ ſtatus in corpore tanquam mali Dei opificio ſemper miſeriæ non beatitudinis eſſe videatur.

Auguſt. de hæreſ. cap. 1. Damaſc. de hæreſ. c. 21. Anaſtaſ. hiſt. eccl. p. 16. (Pag. 36.) Dionyſ. de divin. nomin. c. 6. Maxim. ſchol. ad Dion. pag. 740. Thomaſius ſchediaſm. hiſt.

XV. De fide & bonis operibus quid docuerit Simon Magus, operæ pretium eſt cognoſcere, ne quis Lutheranos in articulo de juſtificatione per ſolam fidem eadem cum Simonianis ſentire cavilletur. Docuit ergo Simon Irenæo teſte, eos qui in ipſum ipſiuſque Helenam ſpem habeant liberos, quæ velint agere, homines enim ſecundum ipſius gratiam non ſecundum operationes juſtas ſalvari, nec eſſe naturaliter operationes juſtas ſed ex accidenti, quemadmodum poſuerint Angeli, qui per hujuſmodi præcepta homines in ſervitutem deduxerint. Atque hinc non modo idololatriam indifferentem docuit, ut ſublato mortis periculo, quod perſecutionum tempore Chriſtianis ab idolorum cultu alienis imminebat, plures ſibi diſcipulos faceret, ut Origenes memoriæ prodidit, verum etiam promiſcuum fœminarum uſum omniumque ſcelerum & flagitiorum licentiam ſuis ſectatoribus conceſſit, qua de re præter Irenæum, Euſebius, Auguſtinus, Georgius Syncellus, Damaſcenus, Nicetas & alii videantur, & è recentioribus Thomaſius, qui inter alia notat, Simonianos hypotheſi, quæ Deum malum bono exæquat, in ſe peſtilentiſſima peſtilentius abuſos horrendis quibuſque ſpurcitiis non

Iren. l. 1, c. 20. Orig. lib. 6. contr. Celſ. Euſeb. lib. 2. H. E. cap. 13. Aug. de hær. c. 1. Syncell. chronogr. p. 330. Damaſc. de hæreſ. cap. 21. Nicet. theſ. orthod. fid. lib. 4. cap. 1. Thom. ſchediaſm. hiſt. §. 38.

(*Pag.* 37.) modo liciti ſed & juſti opinionem conciliare ſtuduiſſe, & hic quoque Simonianos Perſarum Magorum veſtigia preſſiſſe, quorum inceſtas nuptias ex Theodoreto & Strabone notat. De nefaria hac Simonis doctrina teſtantur inſuper ſpurciſſima, quæ inſtituit, myſteria ab Epiphanio deſcripta, ad quæ etiam referendæ infantum cædes & cæſorum viſcerationes, quas à Simone Mago cœpiſſe ex Clementis Romani tractatu de geſtis Petri Wouvverius obſervavit, addens perperam Simonem Chriſti verba intellexiſſe dicentis: *niſi ederitis carnem Filii hominis, & ſanguinem ejus biberitis, non habetis vitam in vobis*, Joh. VI, 53.

Theod. lib. 9. græc. affect. Strab. lib. 15. Epiph. hæreſ. 21. ſect. 4. Wouvv. in not. ad Minut. Felic. p. 160.

XVI. Sunt qui Jacobum, cum cap. II, v. 14. ſqq. fidem ſine operibus ſalvare negat, ad Simonem Magum reſpicere, imo & totius hujus epiſtolæ non minus ac reliquarum, quæ catholicæ appellantur, ſcopum imprimis adverſus Simonem Magum ejuſque aſſeclas dirigi exiſtiment. Cum enim ille in Judæa & Samaria errorem hunc diſſeminaverit, quod bona opera ſalvandis neceſſaria non ſint, & ſola fides ſufficiat, Jacobum Hieroſolymitanum Epiſcopum Samariæ vicinum pro paſtorali ſua vigilantia ſe rapaci huic lupo hac epiſtola oppoſuiſſe dicunt, ut ex Juſtiniani, Lorini, Cornelii, Eſtii aliorumque Pontificiorum commentariis patet. Verum Urſinus recte annotat Jacobi epiſtolam non tam contra Simonem quam contra Pſeudo-Chriſtianos ſcriptam eſſe, qui doctrina de juſtificatione ſiniſtre accepta juſtitiæ opera contemnebant. Non enim Jacobus ubi de fide & operibus agit, fidem heterodoxam, qualis Simonis erat, ſed tantum hypocriticam & bonis operibus vacuam impugnat.

Juſtinian. p. 84. Lorin. p. 4 Corn. à Lap. p. 5. Eſtius p. 1098. Urſin. analect. ſacr. vol. 2, lib. 5. c. 7.

(*Pag.* 38.) XVII. Cæterum cum tam nefandorum dogmatum & myſteriorum Autor eſſet Simon, ea ſingularis ſcientiæ titulo ornare non erubuit, ut Epiphanius & Nicetas Choniates annotarunt. Unde & Paulum, cum Timotheum admonuit, ut τὰς βεβήλους κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως fugeret, ad Simonianos aciem mentis intendiſſe Theodoretus arbitratur, etſi Theophylactus de Nicolaitis Pauli verba interpretari malit. Certe Simonianis

Epiph. hær. 21 c. 4. Nicet. lib. 4. theſ. orthod. c. 1. 1. Tim. VI, 20. Theod. Tom. III, oper. p. 490. Theophylactus, pag. 795.

monianis omnia illa optime conveniunt, quæ hic à Timotheo cane pejus & angue vitari Paulus cupit. Nam ab his falſi nominis ſcientiam initium accepiſſe Irenæus tradit. Et quamvis Antitheſium nomine Apoſtolus in genere omnes illas theſes, quas hæretici Apoſtolicæ doctrinæ opponebant, comprehendebat, ſpecialius tamen iſtæ antitheſes de oppoſitione boni & mali Dei, quam Simoniani fingebant, explicari poſſunt. Neque male in Simonianos quadrant profanæ illæ ſive κενοφωνίαι ſive καινοφωνίαι, à quibus ibi Timotheum Apoſtolus dehortatur. Multa enim & inania & nova vocabula Simonem excogitaſſe ex Epiphanio diſcimus. Quod & antiquioribus Magis in uſu fuiſſe ex magicis oraculis ab Opſopœo editis manifeſtum eſt. Notaſſe autem Apoſtolum vocum novitates, quas tum temporis ſchola Simonis Magi parturiebat, inter alios Eſtius & Magalianus annotarunt. Videatur & Eſpencæus & iterum hic laudandus Thomaſius.

Iren. l. 1, c. 10. Oracul. Mag. Zoroaſtr. p. 70. Eſt. in epiſt. Paul. p. 823. Magal tom. 1. oper. hierarch. p. 764. Eſpenc. Paul. comment. epiſt. 1, ad Tim. p. 301. 302. Thom. (Pag. 39.)

XVIII. Præter Autores hactenus allegatos de Simone Mago, quem interpolator epiſtolæ Ignatianæ ad Trallianos antiqui ſerpentis primogenitum appellat, conferri poſſunt Autor appendicis ad Tertullianum de præſcriptionibus, Pſeudo-Hieronymus indiculo hæreſium, Autor Prædeſtinati, Anaſtaſius in hodego, Timotheus Presbyter, Iſidorus Hiſpalenſis, Beda in hiſtoria eccleſiaſtica gentis Anglorum, ubi de novo tonſuræ genere agitur, quod Simon Magus à Simonis Petri tonſura diverſum excogitaſſe fertur, Photius in epiſtolis, qui Simonem & Carpocratem Chriſti & aliorum quorundam imagines circumtuliſſe ſcribit, ut plures alios taceamus. Tametſi autem Simon non ore modo ſed & calamo deliria ſua diffundere conatus fuerit, ſi Hieronymo & Autori conſtitutionum Apoſtolicarum credimus, ſcripta tamen ejus ætatem non tulerunt, nec ipſi Simoniani Origene teſte diu floruerunt. Tantum interim Simonianæ hæreſeos apud Chriſtianos odium fuit, ut peſſimis quibuſque hæreticis Simonianorum nomen tribuere ſolerent, ut de Neſtorianis ex Theodoſii Edicto conſtat. Pontificiis Lutheranos Simonianæ hæreſeos arguentibus ſatis reſponderunt Gerhardus, Bebelius & Siricius.

Schediaſm. §. 28, ſqq. Tertull. de præſcr. c. 46. Hieron. indicul. p. 6. Prædeſt. lib. 1, hæreſ. 1. Anaſt. hodeg. c. 4. Timoth. de recept. hæret. p. 385, ſeq. Iſidor. lib. 8. Orig. c. 5. Bed. l. 5, c. 22. Phot. epiſt. 38. Hieron. in 24. Matth. Conſtit. Apoſt. lib. 6, c. 16.

Pro

Orig. lib. 1. contr. Celſ. Gerh. Loc. de eccleſ. §. 207. 230. Bebel. antiqu. ſec. 1. p. 94. Siricius in tr. de Simon. Mag. vanit. Vedel. exerc. II. ad epiſt. Ignat. c. 13. Springl. de hodiern. hæ- (Pag. 40.) ret. part. 1, l. 2, c. 2, part. 2, lib. 1, c. 8. Launoj. tract. de eccl. Rom. tradit. circa Simoniam. obſ. 3, 4, 5, obſ. 11, p. 303.

Pro Reformatis contra Pontificios idem argumentum tractarunt Nicolaus Vedelius, Springlius, & alii. Unicum addimus, ab Honorio Auguſtodunenſi eos quoque Simonianos appellari & inter Simonis aſſeclas referri, qui ſpiritualia emant. Plura teſtimonia veterum qui Simoniæ crimen pro hæreſi habuerunt allegat Launojus. Cauſam vero, cur Simoniæ crimen hæreſeos nomine notatum fuerit, exponunt Gofridus Vindocinenſis & Nicolaus Clemangius, quorum verba ab eodem Launojo producta videas, quibus addi poſſunt Balſamon & Zonaras in ſcholiis ad canonem 29. Apoſtolicum,

# CAPUT III.

## de

## Variſuo & Cleobio vel Cleobulo, Theodade, Thebute ſeu Theobuto, Gorthæo Masbothæo, Entychitis, Caniſtis & Adrianiſtis.

I.

homil. 48.

CUm Doſitheo & Simone, de quibus hactenus dictum eſt, Autor operis imperfecti in Matthæum VARISUUM quendam inter PſeudoChriſtos numerat. Sed quis Variſuus ille fuerit, cujus quod alios Scriptores nulla quod ſciam mentio occurrit, haud magis

magis certum eſt, quam quis opus illud imperfectum in Matthæum elaboraverit. Nam qui opus illud à Johanne Hieroſolymitano ſcriptum eſſe probare contendit Waſtelius, magno conatu magnas nugas agere videtur. Neque felicius procedit Sandius, qui opus hoc imperfectum Johannis Chryſoſtomi cygneam cantionem fuiſſe judicat, cui immortuus fuerit, unde & imperfectum reliquerit. Quorſum enim Chryſoſtomus, qui jam 91. homiliis univerſum Matthæi Evangelium illuſtraverat, novi in Matthæum commentarii ſcribendi laborem in ſe ſuſcepiſſet? Accedit quod opus imperfectum non à Græco ſed à Latino Autore profectum certis indiciis conſtet, & Poſſevinum memoria utique fefellerit, cum opus hoc Græce & Latine non ſemel prodiiſſe aſſerit. Tantum enim abeſt ut unquam opus hoc Græce prodierit, ut ne ſcriptum quidem Græce unquam fuerit. Neque citra injuriam Sanctiſſimo Patri opus illud imperfectum tribuere poſſumus, cum in genuinis ſuis & indubitatis ſcriptis ab Ariana hæreſi procul abſit, quam opus imperfectum paſſim redolet, etſi in Mahuſiana & aliis quibusdam editionibus craſſiores blaſphemiæ ſublatæ fuerint. Quod vero Sandius lectori ſuo perſuadere nititur, vel Chryſoſtomum poſtremis vitæ ſuæ annis ad Arianus partes acceſſiſſe, vel cætera ſcripta, quæ ſub ejus nomine feruntur, alium agnoſcere Autorem, ideoque ſolum opus imperfectum cum epiſtola quadam ad Cæſarium monachum & vita Palladii (quaſi vero Chryſoſtomus Palladii vitam & non potius Palladius vitam Chryſoſtomi ſcripſiſſet) Johanni Chryſoſtomo relinquendum eſſe, ab omni ratione alienum eſt & alibi à nobis refutatum. Sed jam è diverticulo in viam redeamus.

In vindic. oper. Johann. Hieroſol. a p. 211, ad 348. Nucl. hiſt. eccl. lib. 3, p. 276.

Apparat. Tom. I, p. 855. (*Pag.* 41.)

II. De Variſuo quis fuerit, nihil conſtare diximus. Haud æque obſcura eſt memoria CLEOBII, quem cum Variſuo incertus Autor imperfecti in Matthæum operis conjungit. Fuit enim hic Cleobius juxta Theodoretum haud poſtremus inter eos, per quos communis humani generis inimicus tritico Verbi ab Apoſtolis ſeminati hæreſium Zizania aſperſit. CLEOBULUM etiam dictum fuiſſe & cum Ebione & Cerintho Chriſtum pro nudo homine habuiſſe Epiphanius teſtatur. Unde etiam

Proœm. lib. 2. de hæret. fabul.

G inter-

interpolator epiſtolæ Ignatianæ ad Trallianos Cleobulo huic
Imag. ſec. I. Theodotum, qui & ipſe Divinam Chriſti naturam impugnavit,
præmiſſa Tom. aſſociat, & utrumque tanquam πονηροῦ ἔγγονα ſeu Diaboli proge-
I. de vitis Scri niem fugere hortatur. Quem Ignatii locum allegans Petrus
(Pag. 42.) Halloixius pro Cleobulo Theobulum Typographi fortaſſe vitio
ptor. Orien- appellat, additque neque Ignatium neque quenquam alium ejus
tal. p. XX. errores ſpeciatim attigiſſe. Verum Contrarium non modo ex
adducto Epiphanii loco, verum etiam ex ea epiſtola apparet,
quæ apud Armenos ad Paulum Corinthiorum nomine ſcripta
perhibetur. In ea enim epiſtola Paulo à Corinthiis ſignificatur,
Simonem & Cleobium peſtifera ſua dogmata Corinthi diſſemi-
naſſe, & docuiſſe, Prophetas non eſſe legendos, Deum non eſſe
omnipotentem, non eſſe futuram corporis reſurrectionem, cor-
pus non eſſe à Deo creatum, Jeſum Chriſtum ex corpore Ma-
riæ Virginis non eſſe natum, neque mundum à Deo ſed ab An-
gelis conditum fuiſſe, ut in notis ad prædictam Ignatii epiſto-
p. 29. lam Uſſerius notavit, qui Armenicum epiſtolæ illius Corinthio-
rum apographum Smyrnæ deſcriptum una cum apocrypha Pauli
reſponſione tertiæ ad Corinthios titulum præ ſe ferente penes
Gilbertum Northum extitiſſe indicat. Mentionem præterea
lib. 4, hiſt. eccl. Cleobii faciunt Hegeſippus apud Euſebium, & Autor Conſtitu-
c. 22. tionum Apoſtolicarum, quas Bovius quidem & Turrianus Lati-
ni earundem interpretes prolixis apologiis ut vere Apoſtolicas
defendunt, contra vero Natalis Alexander ab Apoſtolorum do-
ſec. 1, hiſtor. ctrina alienas, & Chriſtianus Lupus Ordinis Eremitarum S. Au-
eccl. diſſert. 18 guſtini Theologus ab Ariano quodam in dogmatibus pariter &
in ſchol. ad ritibus impuro conſarcinatas pronunciant, unde mirari poſſis,
can. 2, conci cum Bovius & Turrianus ne ſociis quidem ſuis apoſtolicam il-
Trull. part. 2, larum conſtitutionum antiquitatem perſuadere potuerint, in-
p. 867. ventum inter Reformatos, qui illorum ſententiæ accederet, Ri-
apparat. ad chardum Montacutium, quem propterea, licet ſuppreſſo ipſius
orig. eccl. th. nomine, in diſſertatione de epiſtolis Ignatii Jacobus Uſſerius ca-
53. p. 390. ſtigavit. Sed miſſa jam iſta controverſia audiamus, quid conſti-
(Pag. 43.) tutionum illarum Autor, quicunque fuerit, de Cleobio ſcriptum
p. XLVIII. reliquerit. Ait ergo Simonem & Cleobium venenatos libros
lib. 6, c. 16. compoſuiſſe, & ſub Chriſti & Apoſtolorum nomine divulgaſſe, in

quibus

quibus creationem mundi, nuptias, providentiam, liberorum procreationem, Legem & Prophetas calumniati fuerint, & barbara quædam nomina Angelorum ſeu potius dæmonum, quorum afflatu iſta ſcripſerint, commenti fuerint. Alibi vero idem Autor inter Apoſtolos à diabolo emiſſos Simonem & Cleobium Doſithei, quem poſtea Magiſterii principatu dejecerunt, diſcipulos primo loco nominat. lib. 6. c. 8.

III. Quæri hic poſſet, quiſnam ille Theodotus, quem Cleobio ab interpolatore epiſtolæ Ignatianæ aſſociatum diximus Non difficulter autem crediderim, impoſtorem illum tempora Ignatii & Theodoti ſive Coriarii patria Byzantini, ſive Trapezitæ, de quibus inferius agendum erit, imperite confudiſſe. Interim Uſſerius obſervat in codice quodam legi *Theodotum*, quod nomen aliquid commune habere dicit cum THEODADE, quem Pauli familiarem fuiſſe Clemens Alexandrinus memoriæ prodidit, unde Uſſerius in eam propendere ſententiam videtur, quod pro Theodoto in interpolata epiſtola ad Trallianos Theodades legi debeat. Verum cum Cleobius ſeu Cleobulus ejuſque ſocius, quiſquis ille fuerit, in ea epiſtola vocentur τοῦ πονηροῦ ἔγγονα τὰ γεννῶντα καρπὸν θανατοφόρον, οὗ ἐάν τις γεύσηται παραυτίκα ἀποθνήσκει οὐ τὸν πρόσκαιρον θάνατον ἀλλὰ τὸν αἰώνιον h. e. *Satanæ nepotes fructum mortiferum generantes, quem ſi quis deguſtaverit ſtatim non temporali ſed æterna morte morietur,* neſcio an Theodadem, de cujus hæreſi nihil certe conſtat, in eodem, quo Cleobulum, numero habere debeam. Quamvis enim Valentiniani hunc Theodedem Valentini ſui Magiſtrum fuiſſe jactarent, quemadmodum Baſilides Glauciam Petri interpretem Magiſtrum ſibi adſcribere auſus eſt, probari tamen vix poterit, impium hæreſiarcham Valentinum hæreſeos ſuæ capita à Theodade accepiſſe.

not. in epiſt. ad Trall. p. 28. lib. 7. Strom. p. 549. (Pag. 44.)

IV. Cæterum ſi ex nuda nominum cognatione conjecturis aliquid dare licet, libentius pro Theodoto THEOBUTUM ſubſtituerem. Theobutus autem à Ruffino Latino Euſebii inter-



Digitized by Google

lib. 4. H. E. c. 22. prete vocatur, qui ab ipſo Euſebio Thebuthis, vel juxta alia exemplaria Thebulis appellatur. Refert autem Euſebius ex Hegeſippo, quod Thebuthis ille, cum poſt Jacobi Hieroſolymitani mortem epiſcopatus honorem adeptus non fuiſſet, ſed Simeonem prælatum ſibi vidiſſet, ex indignatione eccleſiam vitiare inter primos aggreſſus fuerit, & errores ſuos ex ſeptem Judæorum ſectis conflaverit. (not. ad Euſeb. p. 79.) Ita enim Valeſius locum illum Euſebii explicat, quem alii aliter interpretati ſunt.

V. Ejuſdem cum Theobuto furfuris juxta Hegeſippum in citato Euſebii loco fuit GORTHÆUS, unde Gortheni, quos (lib. 1. hæret. fab. c. 1. hæreſ. 11.) Theodoretus Simonis Magi diſcipulis accenſet, etſi Epiphanius Gorthenos inter Samaritanorum ſectas retulerit, eoſque cum Sebuæis ſeu Hebdomatitis, ut Scaliger in elencho trihæreſii nomen illud explicat, in feſtorum cauſa contendiſſe tradat. (Damaſcen. de hæreſ. c. 10. & 11. p. 934.) Epiphanium ut ſolet ſequitur Damaſcenus, & Sebuæos illos, quos Ligfootus in horis Talmudicis à quodam Sabia derivat, corrupte Jebaſæos vocat, (Pag. 45.) ad quem locum Cotelerius obſervat, Gorthenos ab aliis, Γορθεναίους, ab aliis Γορθεανοὺς, ab aliis aliter efferri. (Tom. I. eccl. græc. monum. p. 759.)

VI. Gorthæo MASBOTHÆUM jungimus, unde Masbothæi, quos tamen Scaliger (elench. trihæreſ c. 3.) potius à ſabbatho nomen adeptos autumat, cum ſe ſabbathiſmum à Chriſto didiciſſe profeſſi fuerint, & Hegeſippus quidem apud Euſebium (lib. 4. c. 22.) duplex Masbothæorum genus agnoſcere videtur, unum quod inter ſeptem Judæorum ſectas numerat, alterum inde ortum. Prioris generis Masbothæos Iſidorus Morbonæos (Iſidor. lib. 8. orig. c. 4.) & Hieronymus Marbonæos vocat. (Hier. ind. c. hæreſ.) Ad poſterioris generis Masbothæos reſpicit Theodoretus. (lib. 1. hæret. fab. c. 1.) In græco conſtitutionum Apoſtolicarum textu (lib. 6. c. 6.) Βασμώθεοι vocantur, ubi dicitur eos providentiam ſuſtuliſſe, omnia fortunæ tribuiſſe, & immortalitatem animæ negaſſe.

VII. Masbothæis vel Masbotheis præter Cleobianos, Doſitheanos & Gorthenos Theodoretus (lib. 1. hæret. fab. c. 1.) Simonis Magi ſectas enumerans Adrianiſtas etiam, Eutychetas & Caniſtas addit, quos omnes tamen, cum σμικρὰς τινὰς ἐναλλαγὰς τῆς δυσσεβοῦς αἱρέσεως

ſeu

Digitized by Google

ſeu parvas quasdam mutationes impiæ hæreſis excogitaſſent,, non diu duraſſe, ſed perpetuæ oblivioni traditos fuiſſe memorat. Et EUTYCHETARUM quidem nomine ſeu EUTICHISTARUM, ut in Latina editione Colonienſi appellantur, non alios indicari puto, quam quos Clemens Alexandrinus ENTYCHITAS appellat, fortaſſe à congreſſibus & colloquiis ſeu ἐντυχίαις, in quibus nefanda ſua myſteria celebrarunt. Nec alios intelligere videtur Origenes apud Pamphilum in apologia pro Origene, quæ inter Hieronymi & Origenis opera legitur, etſi apud Hieronymum Ethniani & apud Origenem Eutychiani appellentur. Apparet autem ex illis Origenis verbis à Pamphilo allegatis, hæreticos illos alium Legis & Prophetarum, alium Evangelii Deum crediddiſſe, & Patrem Domini noſtri JEſu Chriſti non eſſe eum, qui à Lege & Prophetis prædicatus eſt, ſed alium neſcio quem ignotum omnibus atque omnibus inauditum. Nec improbabilis Cotelerii conjectura, qui apud Theodoretum lib. 5. hæret. fabul. c. 9. in Græco-Latina editione pro Entychitis perperam Euchitas legi ſuſpicatur, quo loco Theodoretus Euchitas, ſeu ut rectius legitur, Eutychitas docuiſſe tradit, quod propterea in corpora animæ mittantur, ut omnem in his incontinentiam & iniquitatem exercentes impietatis ſtudio creatores mundi angelos colant. Quæ omnia ex Simonis Magi ſchola hauſta eſſe ex iis liquet, quæ de Simone ſupra dicta ſunt. Unde etiam Clemens Alexandrinus in loco allegato Entychitas ex Simonianis eſſe ſcribit.

lib. 7. Strom. p. 549.
Tom. 9. Oper. edit. Antv. p. 138. (Pag. 46.)
Tom. I. oper. edit. Baſil pag. 858.
Tom. 3. eccl. græc monum. p. 640.

IIX. CANISTAS à caninis & turpiſſimis moribus ſic dictos Danæus in notis ad Auguſtini libellum de hæreſibus ſuſpicatur, quod perſuadere mihi vix poſſum. Cynicos potius Theodoretus Græce ſcribens eos appellaturus fuiſſet quam Κανιςάς. Crediderim ergo Theodoretum potius reſpexiſſe ad eos hæreticos, qui à Clemente Alexandrino Καιανιςαὶ vocantur, de quibus plura inferius dicemus.

p. 41.
lib. 7. Strom. p. 549.

IX. Reſtant igitur è diſcipulis Simonis Magi à Theodoreto recenſitis ADRIANISTÆ, quod nomen ex depravato

lib. 4, c. 22, Euſebii codice natum videtur. Cum enim apud Euſebium Hegeſippus inter primos eccleſiæ Hæreſiarchas Menandrianiſtarum meminit, in nonnullis Euſebii codicibus pro Μενανδριανισαὶ legitur: Αδριανισαὶ, ut Valeſius in ſuis ad Euſebium annotationibus obſervat, unde Theodoretus Menandrianos ab Adrianiſtis diverſos exiſtimavit, quemadmodum & Adrianum à Menandro in ſecundi de hæreticis fabulis libri proœmio diſtinguit. *(Pag. 47.)*

# CAPUT IV.

## *de*

## Menandro.

### I.

Menandrianiſtarum ſeu Menandrianorum Dux MENANDER in vico quodam Samaritano, quem Juſtinus Martyr Capparetajam, Theodoretus Chabrai vocat, ortus Magiſtri ſui Simonis impietatem, Philaſtrio teſte in omnibus imitatus eſt. Æque enim ac Simon ſe Dei virtutem eſſe dixit, ut Hieronymus in dialogo adverſus Luciferianos retulit. Imo ſi Autori appendicis ad Tertullianum de præſcriptionibus credimus, quicquid Simon ſe eſſe dixerat, hoc ſe quoque Menander eſſe dicebat. Non nihil tamen à Simone diſcrepaſſe Menandrum Damaſcenus tradit. Cum enim Simon ſe ſummam virtutem eſſe jactaſſet, Menander contra primam virtutem omnibus eſſe incognitam dicebat, neque tantum ſibi tribuere audebat, ut ex Irenæo & Theodoreto diſcimus. Quocirca Petavius in notis ad Epiphanium miratur, qua ratione Epiphanius dicere valeat, quod Menander ſe Magiſtro ſuo majorem gloriatus fuerit. Veruntamen & Euſebius

apol. 2, p. 69. lib. 1. hæret. fab c. 2, c. 30, de hæret. c. 8, c. 46. de hæreſ. c. 22. Iren. lib. 1. c. 21 Theod. de hæret. fabul. lib. 1, c. 2. p. 49.

bius Menandrum quem alterum diabolicæ operationis inſtrumentum vocat, τερατολογίαις ſuis Magiſtri ſui impietatem ſuperaſſe ſcribit. Idque eatenus verum eſt, quatenus Simon Magus temeraria jactantia immortalitatem ſibi vindicavit, Menander autem eandem etiam diſcipulis ſuis promiſit. Aſſerebat quippe ſe à prima virtute ad ſalutem humani generis miſſum, eamque neminem conſequi poſſe niſi in nomine ſuo baptizatos, quibus non modo victoriam adverſus Angelos, à quibus mundum conditum ſomniabat, verum etiam immunitatem à morte vanis perſuaſionibus ſpondebat, ut Juſtinus, Irenæus & alii teſtantur.

hæreſ. 22. lib. 3. H. E. c. 26. (Pag. 48.)

apol. 2. p. 70. Iren. l. 1. c. 21.

II. Hoc Menandri delirium falſe pro merito exagitat Tertullianus, *publica*, ajens, *totius generis ſententia mortem naturæ debitum pronunciamus. Hoc ſtipulata eſt Dei vox, hoc ſpopondit omne quod naſcitur, ut jam hinc non Epicuri ſtupor ſuffundatur, negantis debitum illud ad nos pertinere, ſed hæretici Magi Menandri Samaritani furor conſpuatur, dicentis, mortem ad ſuos non modo non pertinere, verum nec pervenire. In hoc ſcilicet ſe à ſuprema & arcana poteſtate legatum, ut immortales & incorruptibiles, & ſtatim reſurrectionis compotes fiant, qui baptiſma ejus induerint.* Subjungit deinde Tertullianus miranda nonnulla aquarum genera, quæ homines vel ebrios vel lymphaticos reddere dicuntur, & imprimis Stygiæ quoque paludis meminit, qua mortem dilui Poeta finxerit, etſi nihilominus Tethys filium ſuum hac palude lotum plangere coacta fuerit. Deinde quærit: *quid hoc Menandri balneum? magicum credo. Sed cur tam infrequens, tam occultum, quo pauciſſimi lavent? Suſpectam enim factam raritatem ſecuriſſimi atque tutiſſimi Sacramenti.* Negat porro magiam tantum efficere poſſe, ut vitam ætate renovata vitis inſtar repaſtinet, aut mortem eximat. Paulo poſt exclamat: *ubi ſunt illi, quos Menander ipſe perfudit, quos in Stygem ſuum merſit? Apoſtoli perennes veniant, aſſiſtant, videat illos meus Thomas, audiat, contrectet & credet.*

de anim. c. 50.

III. Ad-

(Pag. 49.) III. Adverſus Menandrianos calamum ſtrinxiſſe Juſtinum, Irenæum & Origenem Theodoretus ſcribit. Ante hos Menan-
lib. 1, hæret. fab, c. 2, hæreſ, 2, drianam hæreſin impugnavit Linus Epiſcopus Romanus, ſi Autori Prædeſtinati credimus. Sic enim de Menandro ipſius verba habent: *ſecunda hæreſis à Menandro Menandrianorum, qui mundum non à Deo ſed ab Angelis factum eſſe teſtantur. Hos S. Linus Epiſcopus ſecundus Apoſtoli Petri, à conſortio converſationis noſtræ ejectos æterna damnatione multavit, docens rationabiliter ſecundum ſcripturas Veteris Teſtamenti, Deum, qui cum Moſe locutus eſt, hunc eſſe omnium Creatorem, & nihil in creaturis omnibus eſſe, quod poſſit pro ſui natura eſſe vituperabile: omnia enim quæ culpabilia judicantur, actu non conditione culpantur.*

Auguſt. hæreſ. 2, Conferantur præterea de Menandro Auguſtinus, Timotheus
Tim. pag. 386 edit. Coteler. Presbyter, Haymo Halberſtadienſis, Nicephorus, Honorius, qui Menandrianos communia conjugia habuiſſe docet, & alii. Si-
Haym. hiſt. eccl. lib 3, c. 16 monis ſectatorem tantum & ſucceſſorem non auditorem fuiſſe Menandrum, nec ſub Veſpaſiano aut Domitiano, ſed ſub Traja-
Nicephor. lib. 3, c. 16. hiſt. eccl. no vixiſſe probare nititur Autor obſervationum ad Pearſonianas Ignatii vindicias Matthæus Larroquanus, ſed argumenta
Honorius hæreſ, 20, p. 261, ejus ni fallor infirmiora ſunt, quam ut probare poſſint quod debent.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT V.

(Pag. 50.)

## de

## Cerintho & Cerinthianis, ubi & de Chiliaſtis ſeu Milliariis & Papianiſtis.

### I.

MIſſis tantiſper Menandri diſcipulis Saturnino & Baſilide, quos ſecundæ ſectioni reſervamus, ad CERINTHUM pergimus, qui num etiam MERINTHUS appellatus fuerit, definire non audet Epiphanius, quamvis Cerinthianos quoque Merinthianos vocatos fuiſſe fateatur. Pari ratione Auguſtinus & Damaſcenus non determinant, idemne Merinthus cum Cerintho an alius fuerit, etſi Cerinthianos à Cerintho & Merinthianos à Merintho dictos aſſerant. hæreſ. 28. ſect. 8. Auguſt. hæreſ. 8. Damaſcen. hær. 28.

II. Licet vero in ſacris literis Cerinthi nomen expreſſum non legatur, ejusdem tamen errores à Sanctis Evangeliſtis & Apoſtolis paſſim referri & confutari tradunt eccleſiaſtici Scriptores. Nam contra Cerinthum imprimis & Ebionitas Evangelium ſuum ſcripſiſſe Johannem ab Aſiæ Epiſcopis rogatum tradit Hieronymus in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum & in prolegomenis ad Matthæum, quod præter Irenæum confirmant Auguſtinus & Theophylactus in prolegomenis ad Johannem, cum ejus Evangelium adverſus hæreticos Chriſti divinitatem negantes conſignatum teſtantur. Inter eos enim, qui Apoſtolorum ævo Chriſti divinitatem negarunt, fuit & catal. Script. c. 9. Iren. lib. 3. c. 11. p. 184. edit. Gallaſ.

Cerinthus, qui Chriſtum à Joſepho & Maria natum juſtitia
(Pag. 51.) tantum & prudentia cæteros homines antecelluiſſe ſomniavit,
Iren. l. 1. c. 26. ut ex Irenæo, Pſeudo-Tertulliano, Theodoreto aliisque con-
Tertull. app. ſtat. Quocirca mirandum, quid Alogis in mentem venerit,
ad lib de præ- quod Johannis ſcripta & in his etiam Evangelium Johannis
ſcript. c. 48. Cerintho tribuere veriti haud fuerunt, quod plane eſſe ἄλογον
Theodor. lib. 2. hæret. fab. c. 3. Epiphanius oſtendit.

hæreſ. LI. c. 4. III. Eundem Hæreſiarcham tumultu Hieroſolymis excitato Apoſtolis congregandi concilii & peculiaris decreti, quod Act. XV. conſignatum legitur, promulgandi neceſſitatem im-
de hæreſ. c. 36 poſuiſſe Philaſtrius memorat, additque Epiphanius, Cerin-
hæreſ. 28. c. 2 thum quoque certaminum, quæ Act. XI. & XXI. contra Petrum & Paulum ex Judaiſmi zelo nata Lucas retulit, Autorem fuiſſe, ejusque aſſeclas a Paulo in poſteriori ad Corinthios epiſtola Pſeudapoſtolos & doloſos operarios vocari. Illud ſaltem certum eſt, Cerinthum à Pſeudapoſtolorum doctrina alie-
epiſt. 89. num non fuiſſe. Nam ut Hieronymus in quadam ad Auguſtinum epiſtola teſtatur, legem evangelio miſcuit, & juxta
indicul. hæreſ. c. 10. Pſeudo-Hieronymum circumciſionem non intermittendam, ſabbatha cum diebus feſtis Judaico ritu celebranda, aliasque Moſaicas ceremonias ſtricte obſervandas Chriſti exemplo probare anniſus fuit. Eandem dubio procul ob cauſam Cerinthus Paulinas epiſtolas repudiavit, ut ex Epiphanio diſcimus. Con-
hæreſ. XXIIX. 6. tra Paulus, ſi Autori Prædeſtinati credimus, non ſolum in epiſtola ad Galatas Cerinthianorum errores refutavit, ſed
hæreſ. 8. etiam Cerinthianos in Galatia æterno anathemate percuſſit.

Coloſſ. II. 18. IV. Porro cum Paulus in epiſtola ad Coloſſenſes ab iis cavendum monet, qui ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων in ea quæ non viderunt gradum inferunt, ad Cerinthia-
(Pag. 52.) nos Apoſtolum ſpectaſſe Johannes Garnerius in auctario operum Theodoreti ſuſpicatur. Cum enim Theodoretus in
p. 490. commentario ad epiſtolas Paulinas notaſſet, defenſores legis
p. 355. Moſaicæ etiam Angelos colendos induxiſſe, dicentes univerſorum Deum nec cerni nec attingi nec comprehendi poſſe, & per

& per Angelos divinam benevolentiam conciliari oportere. Garnerius hæc omnia ad Cerinthum applicat, qui Alexandriæ in Ægypto cum Judæis, gentilibus & Magis converſatus, poſtea in Aſia ac imprimis in Phrygia & Piſidia hæreſin ex Judaiſmo, idololatria & magia conflatam, diſſeminaverit, ac Angelos tanquam mundi conditores & Dei hominumque mediatores adorandos docuerit, & Angelorum nomine invocato prodigia quædam oſtentaverit. Quam impietatem & ab Apoſtolo Paulo & à Patribus concilii Laodiceni can. 35. damnatam aſſerit. At ne Papæa quoque angelolatria à Paulo & Patribus Laodicenis in Cerinthianis reprehenſa videatur, hoc diſcrimen ſtatuit, quod Cerinthiani angelos tanquam mundi conditores, immediatos Dei hominumque mediatores, & magicarum artium patronos invocaverint, eccleſia vero ſcilicet Papæa eosdem colat ut adminiſtratorios ſub Chriſto Spiritus, hominum cuſtodes & ſanctorum conſervos. Addit poſtea oratoria illa S. Michaelis quæ in Phrygia & Piſidia ad ſuam usque ætatem perſtitiſſe Theodoretus tradit, fuiſſe loca, ubi quondam Cerinthiani ſynaxes ſuas habuerint, quæ poſt hæreſin extinctam in ſanctiores uſus fidelium pietas converterit. Tandem vero in confutando Baronio occupatus eſt, qui etſi fateatur, Apoſtolum de Cerintho & Cerinthianis loqui, & agnoſcat Cerinthum Angelis nimium tribuiſſe, eamque ipſam ob cauſam Apoſtolum primo ſtatim epiſtolæ ſuæ ad Coloſſenſes capite angelos à Chriſto conditos eique ſubjectos docuiſſe, negat tamen, quod Cerinthus angelos adorandos dixerit, cum id nuſpiam legatur. (Pag. 53.)

V. Nos Apoſtoli verba de Cerinthianis non incommode intelligi poſſe Garnerio concedimus. Cerinthus enim non ſolum angelicas revelationes jactavit, ut Gajus in diſp. adverſus Proclum apud Euſebium lib. 3. c. 28. autor eſt, verum etiam mundum ab angelica quadam poteſtate conditum finxit, ut Irenæus lib. 1. c. 25. & alii teſtantur, & legem ab angelis datam ipſumque Judæorum Deum angelum fuiſſe ſomniavit juxta Autorem append. ad Tertullian. de præſcript. c. 43. Cum vero de angelis Cerinthus tam honorifice ſenſerit, improbabile

non eſt, quod adorandos docuerit angelos. Sive autem ad Cerinthum reſpexerit Apoſtolus allegato loco, ſive ad alios errones, inepta tamen eſt illa Garnerii diſtinctio, qua Papæam angelolatriam à Paulino interdicto eximere conatur. Nam Apoſtolus religioſum angelorum cultum, quocunque reſpectu fiat, ſimpliciter damnavit. Quod contra Pontificios Johannes Davenantius Sariſburienſis Epiſcopus prolixius demonſtrat in comm. ad epiſtol. Coloſſ. p. 238. & ſqq. contra quos & hoc notamus, quod Garnerius Theodoretum nuſpiam in operibus ſuis angelos invocandos tradere fateatur p. 491.

VI. Alius Cerinthi error fuit, quod Jeſum à Chriſto divellens docuit, poſt Jeſu baptiſmum deſcendiſſe in eum Chriſtum ab ea principalitate, quæ eſt ſuper omnia figura columbæ, & tum annunciaſſe incognitum Patrem & virtutes perfeciſſe, in fine autem avolaſſe iterum Chriſtum à Jeſu & Jeſum paſſum eſſe (*Pag.54.*) & reſurrexiſſe, Chriſtum autem impaſſibilem perſeveraſſe exiſtentem ſpiritalem, ut ipſis Irenæi verbis ex lib. 1. c. 25. hoc Cerinthi commentum efferamus. Et ad hunc Cerinthi errorem reſpexiſſe Petrum, cum in priori epiſtola Chriſtum in carne paſſum ait, quaſi diceret, Chriſtum à Jeſu patiente non avolaſſe, ſententia eſt Chriſtiani Lupi in not. ad Tertull. de præſcript. p. 551. Cæterum hunc Cerinthi errorem Epiphanius quoque hæreſ. 28. c. 1. repetit, etſi poſtea c. 6. ſibi ipſi contradicere videatur, ubi Cerintho tribuit, quod docuerit, Chriſtum quidem paſſum & crucifixum, nondum autem à mortuis excitatum, ac tum demum, cum omnes mortui reſurgent, excitandum eſſe, quod ante Epiphanium Philaſtrius quoque c. 36. & poſt Epiphanium Auguſtinus de hæreſ. c. 8. Cerintho tribuerunt. Cum vero impia ſua dogmata ſacris evangeliis adverſari Cerinthus animadverteret, ſolum Matthæi evangelium cæteris rejectis, teſte Philaſtrio, recepit. Imo vero juxta Epiphanium c. 5. Matthæi quoque evangelium ex parte tantum approbavit. Repudiavit quoque Apoſtolorum acta &, quod jam ſuperius monuimus, Pauli ſcripta. Præterea & martyres blaſphemavit,

con-

contra vero Judam proditorem honore dignum cenſuit, quæ omnia Philaſtrius l. c. memoriæ mandavit.

VII. Nec illud ſilentio involvendum eſt, quod Cerinthus poſt reſurrectionem Chriſti regnum per mille annos in terris continuandum, ejuſque cives Hieroſolymis degentes in omni carnalium voluptatum genere victuros teſte Cajo apud Euſebium lib. 3. c. 28. ſomniavit. Quod dogma cum nonnulli in apocalypſi Johannea approbari ex pſeudhermenia capitis 20. falſo ſtatuerent, ejus Autorem, ut apud Euſebium Dionyſius Alexandrinus refert, Cerinthum eſſe cenſuerunt, cujus ſectatores ob hunc ipſum 1000. annorum errorem ab Auguſtino CHILIASTÆ, & alibi MILLIARII, ab Iſidoro Hiſpalenſi *Milliaſta*, à Rabano Mauro *Milliaſti*, à Gratiano *Millenarii* & à Philaſtrio *Chilionetita* dicti ſunt. Quòd autem nonnulli Patres, in quibus & Irenæus, dum Cerinthi errores recenſent, Chiliaſmum omittunt, in promtu cauſa eſt, cum ipſi quoque millenario Chriſti regno addicti fuerint, ſecuti Papiam Hierapolitanum Epiſcopum, quem eo nomine in ſuum hæreticorum catalogum retulit Bernhardus Luzenburgicus, etſi eum, non obſtante iſto errore, martyrologio ſuo inſeruit Baronius. Et forte etiam in Lege V. Cod. *de hæreticis* ſub PAPIANISTARUM nomine Chiliaſtæ veniunt à Papia ſic cognominati, quamvis prædictus Bernhardus Luzenburgicus Papianiſtas Manichæis annumerare maluerit. Neque tamen eadem plane Cerinthi, quæ Papiæ aliorumque Eccleſiæ Doctorum, fuiſſe ſententia videtur, qua de re Calixtus, Gerhardus, Voëtius aliique Theologi videantur.

lib. 2. hiſt. eccl. cap. 25. (*Pag. 55.*)
Aug. de hæreſ. c. 8. & l. 20, d. C. D. c. 7.
Iſid. Orig. lib. 8, c. 5.
Rab. de inſtit. Cler. l. 2, c. 58.
Grat. part. 26, decr. cauſ. 24. p. 3.
Philaſt. de hæreſibus c. 59.
Calixt de ſupr. judicio p. 163.
Gerh. de conſumm. ſec. § 67.
Voët. T. 2. ſel. diſp. p. 1256.

VIII. Epiphanius, ubi de Cerinthianis agit, ſe à majoribus traditum accepiſſe refert, nonnullos ex iſto hæreticorum genere circa baptiſmum vivis exceſſiſſe, eorumque nomine alios baptiſmum ſuſcepiſſe, ne, cum ad vitam revocati eſſent, neglecti baptiſmi pœnas luerent, & huc reſpexiſſe Apoſtolum dicentem: *ſi mortui non reſurgunt, quid ergo pro iis baptizantur?* Verum hanc Apoſtoli mentem non fuiſſe, ex eo haud difficulter colligi

1. Cor. XV, 29.

eſt, quod à turpiſſimorum hæreticorum ritu argumentum reſurrectionis capere Apoſtolica gravitate minus dignum videatur. Et tantum abeſt, ut Epiphanius traditionem illam de Cerinthianorum baptiſmo pro certa venditet, ut potius Apoſtoli verba longe commodius de clinicis vicina morte baptizatis intelligi poſſe ſtatuat.

(Pag. 56.)

Quamobrem ſi inter Corinthios fuerunt, qui mortuorum vice baptizati ſunt, quam opinionem Hugoni Grotio, Cameroni, Laurentio, Juſtello & è noſtratibus Danhauero non diſplicere video, è fidelium potius numero eosdem fuiſſe ſtatuendum erit, in qua ſententia Scaligerum fuiſſe Rigaltius indicat *not. ad Tertull. p.* 100. Nec veterum teſtimoniis hanc conjecturam deſtitui Epiſcopus obſervat, etſi eandem non exiguis laborare difficultatibus agnoſcat, eoque nomine in eorum potius ſententiam inclinet, qui putant baptiſmum pro mortuis à Paulo Rom. VI, v. 3. explicari. Nec deſunt, qui cum Beza Paulum ad ritum lavandi corpora defunctorum reſpicere exiſtiment, quam ſententiam nihil abſurdi continere Balduinus judicat, ſi baptiſmi vocem pro vulgari lotiones accipere velimus. Nonnullis tamen incommodis hanc quoque ſententiam premi D. Sebaſt. Schmidius in diſp. de baptiſmo ſuper mortuis th. 29. oſtendit, adeque th. 31. mavult Apoſtolum loqui de baptiſmo ceremoniali Veteris Teſtamenti ſuper mortuis, qui propterea per Moſen à Deo inſtitutus fuerit, ut populus Iſraeliticus reſurrectionis commonefieret.

Grot. ad h. l.
Camer. myr. p. 229.
Laurent. in Paul. δυσν. p. 440.
Juſtel. not. ad Can. 57. eccl. univ.
Danhauer. Chriſteid. 446.
Epiſc. in reſp. ad quæſt. 64. qu. 35.
ad 1. Cor. XV, part. 2, qu. 5.

Si autem baptiſmi vocem pro Sacramentali baptiſmo accipere malimus, non incommoda erit Lutheri noſtri ſententia, qui per baptiſmum ſuper mortuis intelligit baptiſmum in cæmeteriis ad ſepulchra mortuorum, quæ explicatio etiam Gerhardo Johanni Voſſio arridet. Etſi enim in diſp. 12. de baptiſmo veriſimilius Apoſtoli verba de clinicorum baptiſmo, quam de vicario exponi cenſeat, alibi tamen ſe aliam interpretationem attuliſſe ait, cujus ipſum nondum pœnituerit.

(Pag. 57.)

Nimirum in diſp. 1. de reſurr. carnis th. 18. p. 181. verba Apoſtoli de baptiſmo ſuper cadavera mortuorum interpretatur, & hanc interpretationem ex eo confirmat, quod non Hieronymi tantum, vel Auguſtini ævo ad memoriam Martyrum in cœmeteriis Chriſtiani convenirent, ſed jam ætate eorum, qui Johannem Evangeliſtam audire

dire

dire potuerint, quod ex Smyrnenſis eccleſiæ literis ab Euſebio recitatis probat. Quam opinionem prolixius confirmat & ab objectionibus nonnullis vindicat Dorſchæus. Neque aſpernanda videtur Johannis Harduini ſententia, qui in quæſtione triplici de baptiſmo hanc controverſiam ventilavit. Ait enim, eo tempore, quo Paulus ad Corinthios ſcripſit, morbum quendam urbis hujus incolas invaſiſſe, eoque graſſante multos diem ſupremum obiiſſe, quod ex 1. Cor. XI. haud difficulter probari poteſt. Cum igitur magnus eſſet eâ tempeſtate mortuorum numerus, multos occaſione iſtorum mortuorum & ingruentis lethi metu ad baptiſmum convolaſſe Harduinus ſcribit, & hos Paulum intelligere, cum ait, *quid facient, qui baptizantur propter mortuos*, id eſt, ſi nulla reſurrectio mortuorum ſperanda, quid conſequentur veſtri catechumeni, qui occaſione mortuorum, ut baptiſmo initientur, efflagitant? Quam explicationem prædictus Harduinus Societatis Jeſu in Gallia Presbyter prolixius confirmat. Conferantur in illum Pauli locum præter Commentatores & Autores hactenus allegatos Gerhardus *Tom. IIX. LL. CC. de mort.* §. *68.* Tarnovius *exerc. bibl. lib. 2.* p. 645. Franzius *orac.* 80. Calixtus *de immortal. & reſur. c.* 6. *th.* 7. Hildebrandus *de arte bene moriendi c. 4.* Boſius *exerc. de Clinic. c. 2. p.* 34. Chamier *Tom.* 3. *panſtr. lib. 26. c. 19.* Scaliger *epiſt.* 236. 237. Heinſius *exercit. ſacr. libr.* 7. *c.* 13. *p.* 406. ubi pro mortuis baptizari idem eſſe ac mortuorum nomina in baptiſmo adſciſcere contendit, Marckius *exerc.* 25. & 26. Anna Maria Schurmannia *in epiſt. ad Lydium p. 69.* ubi probat, per mortuos ironicè intelligi electos, qui juxta erroneam adverſariorum opinionem pro mortuis habendi erant, baptizari autem pro mortuis idem eſſe ac varios labores pro fidelibus ſubire.

Dorſch. myſt miſſ. p. 311.

§ (*Pag. 58.*)

IX. Tantum autem fuit in Cerinthum Johannis odium, ut communi cum eo balneo uti detrectaverit, veritus ne balneum rueret, quod impius hæreſiarcha ingreſſus fuiſſet, ut ex Polycarpi ore nonnulli audiverunt, à quibus id cognovit Irenæus, ut ipſe teſtatur. Ex Irenæo autem Euſebius, Timotheus Presbyter & alii hauſerunt. De ſuo addit Prateolus in elencho hæreſium, quod Cerinthus poſt Johannis egreſſum collapſæ domus ruina

l. 3, c. 3. Euſeb. l. 3, c. 28, & l. 4, c. 14 Tim. p. 387. l. 3, p 458.

ſtatim

ſtatim oppreſſus & extinctus fuerit. Prateolum & alii recentiores ſequuntur. At apud Irenæum, Euſebium alioſque primitivæ eccleſiæ ſcriptores altum eſt hac de re ſilentium. Et quamvis Feuardentius in notis ad Irenæum ab Hieronymo in Dialogo adverſus Luciferianos id aſſertum dicat, cuilibet tamen dialogum iſtum perlegenti patebit, quod memoria illum fefellerit, quâ lapſus etiam Epiphanius, cum Ebioni tribuit, quod Irenæus & Euſebius de Cerintho retulerunt, niſi forte cum Baronio Ebionem ſimul cum Cerintho laviſſe ſuſpicemur.

hæreſ. 30. ſect. 14.

X. Ad multos autem annos vitam ſuam Cerinthus produxerit oportet, ſi adhuc Pii I. ætate, qui circa medium ſeculi ſecundi floruit, multos à fide avertit. Id enim Pius Juſto Viennenſi ſignificat, in priori, quam ad ipſum ſcripſiſſe perhibetur, epiſtola, *Cerinthus*, inquiens, *primarches Satanæ multos avertit à fide*. Verum barbara & hybrida vox *primarches* alium hujus epiſtolæ Autorem arguit, quod & de cæteris Pontificum Romanorum, à Clemente uſque ad Siricium, epiſtolis judicandum eſt, quippe quas octo prioribus ſeculis ignotas Iſidorus modo Peccatoris, modo Mercatoris cognomento inſignitus ex variis centonibus craſſo filo conſutas, eodemque colore imbutas ex officina neſcio qua produxit, quam impoſturam Chriſtianus Lupus piam vocat, eoque fine ab eo exercitam aſſerit, ut Romanæ ſedis majeſtatem & jurisdictionem tum temporis admodum expreſſam quodammodo ſublevaret.

(*Pag.59*)

in ſchol. ad canon. concil. part. 4. p. 362.

CA-

# CAPUT VI.

*de*

## Ebione & Ebionitis, ubi et de Homuncionitis et Anthropianis, item Patripaſſianis et Symmachianis.

I.

PRogredimur ad Cerinthi Succeſſorem. Sic enim ab Hieronymo *dial. contra Lucifer.* & in append. ad Tertull. de præſcript. vocatur EBION, quod nomen cum apud Hebræos egenum ſeu pauperem ſignificet. Ebionitis optime convenit, non tam ob voluntariam paupertatem, qua teſte Epiphan. gloriari ſolebant, quam ob mentis inopiam, cujus ipſos, alluſione ad magiſtri nomen facta, eccleſiaſtici Scriptores frequenter arguunt. Equidem haud deſunt, qui negent hæreticum quempiam ejus nominis ullo tempore fuiſſe. Quos inter præter Socinum & Oſtorodum à Calovio *Tom. III. Syſt. p. 244. & Tom. V. p. 340.* allegatos, Curcellæus *in diſſ. de voce Trin. adv. Mareſ. theſ. ult. p.* 882. Jurieuſius *in anal. fidei in excerpta in actis Erud. Gal. Mart. 1682. p.* 146. Richardus Simonius *in Critica N. T. Gallice nuper ſcripta c. 8.* & alii, provocantes ad Origenem, qui ſub initium lib. 2. contra Celſum refert, eos à Judæis per contemtum Ebionæos ſeu pauperes dictos fuiſſe, qui Jeſum pro Chriſto receperunt. Neque abnuerim, fortaſſe Judæos Chriſti fidem amplexos à cæteris Judæis hoc

cap. 2. cap. 48. hær. 30. c. 17. (Pag. 60.)

Ebionitarum ſeu pauperum ſcomuate traductos fuiſſe, minime tamen inde ſequitur, nullum unquam hæreticum proprio hoc nomine inſignitum in primitiva eccleſia fuiſſe. Cui ſententiæ repugnant, quotquot è Scriptoribus eccleſiaſticis Ebionem cum aliis Hæreſiarcharum individuis conjungunt, aut ejus patriam, diſcipulos, aliaque hujuſmodi ad vitæ curriculum ſpectantia, enarrant, quos inter Epiphanius hoc mali ominis nomen Ebioni à parentibus inditum commemorat. Equidem Richardus Simonius in Critica N.T. cujus modo mentionem fecimus, exiſtimat, non firmius fundamentum habere Epiphanium in hiſtoria Ebionis, quam Illeſcam Scriptorem Hiſpanum, qui Hugonottos in Gallia ab Hugone quodam Hæreſiarcha Sacramentario nomen ſuum accepiſſe commentus fuerit. Neque tamen ſatis cauſæ videtur, cur de Epiphanii fide dubitemus. Non obſtat, quod Irenæus cæteros Hæreſiarchas nominatim perſtringens Ebionitarum quidem pluribus in locis, nuſquam vero Ebionis meminerit. Quoties enim Irenæus Ebionitas nominat, eos non minus ac plerosque cæteros hæreticos ab Autore ſuo ita cognominatos inſinuat. Nec obſtat, quod Euſebius referat, Ebionæos ita cognominatos eſſe, quod πτωχῶς καὶ ταπεινῶς abjecte & humiliter de Chriſto ſentirent. Nam Euſebius his verbis nihil aliud innuit, quam in Ebionæos ob mentis paupertatem & abjectam de Chriſto ſententiam Magiſtri ſui à paupertate dicti nomen optime quadraſſe.

[Margin: p. 89. — lib. 3. c. 27. hiſt. eccl. — (Pag. 61.)]

II. Quænam ergo fuit abjecta illa & humilis de Chriſto ſententia? Si Irenæum audiamus, Ebionitæ de Chriſto non ſimiliter ſenſerunt ut Cerinthiani. Hinc nata quæſtio, quænam illa in Ebionitarum & Cerinthianorum doctrina circa articulum de Chriſto differentia? Et Siricius quidem, qui Ebionis hiſtoriam ex inſtituto pertractavit, th. 10. in generalibus Irenæi verbis acquieſcendum potius, quam ſpecialem Ebionis & Cerinthi diſſenſum operoſe inquirendum cenſet. Mihi vero valde arridet eorum conjectura, qui cum Dannhauero particulam negativam in adductis Irenæi verbis ab aliena manu profectam ſuſpicantur, aut pro: *non ſimiliter* legendum:

[Margin: lib. 1. c. 26. — in Chriſteid. p. 522.]

con-

*conſimiliter*, ut monet Pearſonius, cum Ebionem in negata Chriſti divinitate Cerintho ὁμόψηφον fuiſſe ipſe Irenæus *lib. 4. c. 59. & lib. 5. c. 2.* non obſcure ſignificet, quod alii Scriptores magno conſenſu confirmarunt, è quibus nominaſſe ſufficiat interpolatorem epiſtolæ Ignatianæ ad Philadelphienſes *p. 181. & 182.* Autorem Conſtitutionum Apoſtolic. qui Ebionæos Judæorum ſectis annumerat *lib. 6. c. 6.* Tertullianum *de carn. Chriſti c. 14. de Præſcript. adv. hær. c. 33.* Pamphilum *apol. pro Orig. Tom. I. Oper. Orig. p. 858.* Philaſtrium *de hæreſ. c. 37.* Auguſtinum *de hæreſ. c. 10.* Theodoretum *lib. 2. de hæret. fabul. c. 1.* Epiphanium *hæreſ. 30.* Autorem Prædeſtinati *lib. 1. c. 10.* Timotheum Presbyterum *p. 386.* Hilarium *lib. 2. de Trinit. p. 19. & lib. 7. p. 81. &* 82. ubi Photinum Ebionem eſſe dicit, quia nempe Photinus Ebionis hæreſin inſtauravit, ut Hieronymus *in catal. Script. eccl. c. 107.* teſtatur, qui etiam errorem illum Ebionitarum *in comment. epiſtol. ad Gal. pag. 120. & 122.* & *in cap. 4. epiſtol ad Epheſ. pag. 178.* notavit. in vindic. epiſt. Ignat. part. 2. p. 25. (*Pag. 62.*)

III. Ac etſi juxta Origenem duo Ebionitarum genera fuerint, quorum unum Jeſum ex Virgine virtute Spiritus S. alterum vero ex Joſephi & Mariæ concubitu more reliquorum hominum prognatum aſſeruit, utrumque tamen Chriſti divinitatem negaſſe Euſebius teſtatur. Ex quo virum quendam ingenii & doctrinæ fama illuſtrem, qui alterum Ebionitarum genus de Chriſti divinitate recte ſenſiſſe exiſtimavit, corrigendum monet Huetius. Verum & ipſe Huetius erravit, cum eodem loco exiſtimat, illos Ebionitas, qui Chriſtum ex Joſepho & Maria natum ſtatuerunt, à Nicephoro *majores* appellari. Quod falſum eſſe deprehendet græcum inſpiciens textum. Sic enim ille habet: Ἐβιωναίους τούτους οἱ πρὸ ἡμῶν ὠνόμασαν. Aliud autem eſt hæreticos quosdam à majoribus Ebionæos appellatos fuiſſe, quod allegato loco Nicephorus indicat, & aliud, Ebionæos quosdam majores appellari. Quem errorem ex Latina verſione male intellecta profectum notavit, tacito tamen Huetii nomine, Cotelerius. lib. 5. contr. Celſ. lib. 3. hiſt. eccl. c. 27. in not. ad Orig. p. 74. lib. 3. c. 13. hiſt. eccl. Tom. III. eccl. græc. mon. p. 765.

IV. Neque deſunt, qui cum Victore Giſelino Ebionitas ob hanc ipſam cauſam, quod Chriſtum pro homine mero agno-

in not. ad Prudent. apotheoſ. 467. ſcerent, HOMUNCIONITARUM nomine inſignitos credunt.
Ac etſi Chamillardus, qui nuper in uſum Delphini Prudentium
edidit, in prolegomenis ad Prudentii apotheoſin non ad Ebionem
ſed ad Paulum Samoſatenum reſpicere illum titulum exiſtimet:
nihil tamen obſtat, quo minus omnes hæreticos Chriſti
(Pag. 63.) divinitatem impugnantes hoc cognomine ſignatos dicamus.
in refutat. 12. Certe etiam Marius Mercator, Romanam eccleſiam Photinum
anathematiſm. Neſtorii, & participes hujus pravitatis Homuncionitas appellaſſe refert.
T. II. p. 128. Et Garnerius ſe apud Auguſtinum quoque legiſſe meminit, Ho-
in not. ad h. l. p. 131. muncionitarum nomine appellatos hæreticos, qui non noverunt
Chriſtum niſi hominem, quamvis alias juxta Autorem Præ-
lib. 1. c. 76. deſtinati illi quoque Homuncionitæ dicti fuerint, qui imaginem
Dei non animæ ſed corpori tantum impreſſam ſtatuerunt, de quibus
hic non eſt dicendi locus. Apud Vigilium autem Tapſitanum
lib. 3. de Trin. num ſeu Pſeudo-Athanaſium pro Homuncionitæ voce, quæ in
in not. ad vigil. p. 142. nonnullis codicibus legitur, Chiffletius ex codice Pontiniacenſi
in not. ad var. ſacra p. 244. ſqq. homuſianiſtæ vocabulum reponit, animadvertens eos Homouſianiſtas
ab orthodoxis appellatos, qui Chriſtum unius tantum
ſubſtantiæ, eumque etiam ut hominem Patri ὁμοούσιον ſtatuerunt.
Qua de re etiam Le Moynius videatur. Iidem autem videntur
Homuncionitæ, qui à Cypriano *in epiſtol. ad Jubajan.* & Lactantio
*lib. 4. inſtit. cap. ult.* ANTHROPIANI dicuntur. Sane
Iſæus ad illum Lactantii locum per Anthropianos Ebionem
aliosque hujus generis hæreticos, qui Chriſtum pro mero homine
habuerunt, intelligit, quamvis Sparckius de Anthropomorphitis
potius illum Lactantii locum exponere maluerit.

V. Antequam vero ad alios Ebionitarum errores progrediamur,
operæ pretium videtur, quid Pearſonio in vindiciis
epiſtolarum Ignatii in mentem venerit, referre. Nimirum cum
Ignatius in epiſtola ad Magneſianos Filium DEI λόγον ἀΐδιον
οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθόντα h. e. *verbum æternum nec à ſilentio progreſſum*
appellat, Dallæus *in tract. de ſcript. Ignatii c. 12.* ejusque
(Pag. 64.) hyperaſpiſtes Larroquanus *in obſerv. ad Pearſon. vindic. p. 157. ſeqq.*
his Ignatii verbis ad Valentinianos eorumque Sigen reſpici
contendunt, & hoc ipſo argumento probant, epiſtolas, quæ
Ignatii

Ignatii nomen ferunt, ab Ignatii ævo, quo Valentiniana hæreſis nondum exorta fuerat, alienas eſſe. At Pearſonius Ignatium non Valentinianorum, ſed Ebionitarum potius hæreſin ferire arbitratur. Nihil enim aliud Ignatium innuere voluiſſe cenſet, quam Filium Dei æternum, & à vulgaribus verbis, quæ è ſilentio prorumpunt, diſtinguendum eſſe, qua conjectura tanto magis veriſimilis videtur, cum & antecedentia verba, quibus Judaiſmum Ignatius oppugnat, contra Ebionitas directa videantur. Contra Bullus Ignatium neque ad Valentinianos reſpicere putat, neque ad Ebionæos, ſed ad Judaizantes Gnoſticos, quorum Princeps fuerit Cerinthus. Et fateor eſſe nonnulla in Ignatii verbis, quæ Cerinthum propius quam Ebionem tangere videntur. Interim nec Ebionitæ hic videntur excludendi, ſiquidem & Chriſti divinitatem negarunt, & Judaiſmo addictiſſimi fuerunt.

part. 2. vindic. cap. 4.

in defenſ. fid. Nicenæ. p. 287. ſeqq.

VI. Judaiſmo enim perquam addictos fuiſſe hos hæreticos, eoque nomine circumciſionem & legis obſervantiam ad ſalutem neceſſariam duxiſſe referunt Irenæus *lib. 1. c. 26.* Tertullianus *de præſcript. cap. 33.* & Autor appendicis *c. 48.* Rufinus *in ſymbol. T. 9. oper. Hieron. p. 83.* Origenes *in c. 17. Geneſ. p. 16.* Auguſtinus *de hæreſ. c. 10.* Hieronymus *epiſt. 89. c. 4. pag. 317.* ubi ait, Ebionem & Cerinthum legis ceremonias Chriſti evangelio miſcuiſſe, & ſic nova miſcuiſſe, ut vetera non amitterent. Et *in comm. ad Eſ. c. 1.* ubi Ebionem ſimul arare bove & aſino ait, & evangelium ſic recipere, ut Judaicarum ſuperſtitionum ceremonias non relinquat. Item *ad Ezech. c. 44. p. 474. & in cap. 5. epiſt. ad Gal. p. 146.* Nec mirum circumciſionis & rituum Judaicorum neceſſitatem docuiſſe, qui Chriſtum tantum propter carnales Judæos in mundum veniſſe ſomniarunt, ut ex Origen. *lib. 4. de princip. p. 840. & Philocalia c. 1. p. 45.* conſtat. Quem Origenis locum adducens Lupus *in not. ad Tertullianum de præſcript.* ſuſpicatur, fortaſſe ad hunc ipſum errorem mentis ſuæ oculos intendiſſe Johannem, cum Chriſtum propitiationem non pro noſtris tantum ſed pro totius mundi peccatis eſſe pronunciat, idque ipſum in epiſtola ſua ad Romanos ample docuiſſe Pau-

*(Pag. 65.)*

lum, cum fortaſſe Romæ quoque ex Cerintho error ille natus fuerit. Ad Judaicas imo plus quam Judaicas Ebionitarum ſuperſtitiones pertinet, quod Irenæo teſte *lib. 1. c. 26.* Hieroſolymam adorarunt, item quod juxta Euſebium *lib. 3. c. 27.* & Theodoretum *lib. 2. hær. fab. c. 1.* non minus ſabbatum cum Judæis quam dominicam cum Chriſtianis celebrarunt, quod juxta
hær. 30. Damaſcenum continuo ſe aqua abluerunt, & ab omni carnis eſu abſtinuerunt, quod de iisdem etiam Epiphanius teſtatus
hær. 30. c. 2. & 15. fuerat. Nec hic ſilentio prætermittendus chiliaſmus, cui Ebionem haud minus ac Cerinthum addictum fuiſſe teſtatur Hieronymus, qui in comm. ad Eſa. 66. pag. 228. *Judæi*, inquit, *& Judaici erroris hæredes Hebionitæ, qui pro humilitate ſenſus nomen pauperum ſusceperunt, omnesque mille annorum delicias præſtolantes equos & quadrigas ſic intelligunt ut ſcripta*
hær. 30 c. 16. *ſunt. &c.* Judaiſmum quoque olent panes azymi, quos Ebionitas cum aqua in myſteriis ſuis annuis uſurpaſſe Epiphanius autor eſt. Nec deſunt inter Scholaſticos veteres & recentiores, qui cenſeant poſt inſtitutionem S. Euchariſtiæ a Chriſto factam primum quidem & Latinam & Græcam eccleſiam ex-
(*Pag. 66.*) emplo Chriſti in Euchariſtia azymis uſam fuiſſe, poſtea vero, cum Ebionitarum hæreſis exorta fuiſſet, quod juxta Autorem Chronici Alexandrini anno Trajani 8. ſed rectius juxta Epi-
hæreſ. 30. c. 2. phanium poſt Hieroſolymitanæ urbis excidium factum eſt, eccleſiam & Orientalem & Occidentalem in execrationem Ebionitarum, qui in myſteriis ſuis azymos adhibebant, rejectis azymis fermentatum panem in euchariſtia uſurpaſſe, donec extincta illa hæreſi Latina eccleſia ad priſtinum azymorum uſum redierit, Græcis fermenti uſum ea occaſione ſemel receptum retinentibus. Verum eam narrationem ſolida probatione deſtitui recte animadvertit Natalis Alexander ſec. 11. & 12 part. 3. diſſert. 10. p. 326.

VII. Judaiſmo ſuo adverſantem Paulum Ebionitæ variis
hæreſ. 30. c. 16 calumniis, quas apud Epiphanium legere eſt, impetebant, eum-
lib. 2. hæret. fab. c. 1. que ut Theodoretus refert Apoſtolum apoſtatam vocabant, ejuſque ſcripta repudiabant, ut Origenes *lib. 5. contra Celſum ſub finem*

teſtatur

teſtatur. Nec minus acta Apoſtolorum rejecerunt, eorumque loco Petri circuitus alioſque libros ſub Jacobi aliorumque Apoſtolorum nomine vulgatos uſurparunt, qua de re Epiphanius videri poterit. Ex Evangeliſtis imprimis Johannem averſati quippe qui ipſo Evangelii ſui exordio Ebionem impugnavit, ut præter alios teſtatur Marius Mercator *in appendice ad contradictionem 12. anathematiſmi Neſtoriani*, ubi etiam tradit, Ebionem, quem Stoicum Philoſophum appellat, aſſeruiſſe, ſe in doctrina de Chriſto Matthæi, Marci & Lucæ autoritatem ſecutum. Verba Marii Mercatoris Scriptoris Auguſtino coævi ita ſe habent: *totum impietatis Pauli* (Samoſateni) *malum ab Ebione magis Stoico Philoſopho tractum eſt. Hic tempore adhuc Johannis Apoſtoli juxta Aſiam extitit, & Chriſtum hominem communem ex Joſeph & Maria natum, & eum vita merito omne hominum genus præiviſſe, proque hoc in Dei Filium adoptatum auſus eſt prædicare, aſſerens ſe Matthæi, Marci & Lucæ Evangeliſtarum autoritatem ſecutum.* Quæ Marii Mercatoris aſſertio quomodo conciliari poſſit cum Autore Prædeſtinati, qui Lucam Ebionitas Antiochiæ inventos condemnaſſe ſcribit, & cum Irenæo, qui Ebionæos ſolum Matthæi Evangelium admiſiſſe tradit, Garnerius *in notis p.* 130. & *in diſſertationibus p. 306.* & 307. videatur. Quæ conciliandi ratio, ſi cui forte non arriſerit, ei haud magnopere repugnabo, ſi Marium Mercatorem erraſſe dicat. Præter Evangelium Matthæi, idque juxta Hebræos, Pentateuchum Moſaicum quoque Ebionitæ receperunt, ſed non integrum, Prophetas autem plane reſpuerunt, ut Epiphanius *hæreſ.* 30. *ſect.* 15. autor eſt, qui etiam varias de Chriſto blaſphemias Ebionæos evomuiſſe tradit, aliaque erronea dogmata iis tribuit, quibus enumerandis immorari nolumus, cum pleraque non tam Ebionis, quam Helceſaitarum fuiſſe videantur, qui ſe Ebionitis conjunxerunt.

hæreſ. 30. ſ. 15. 16. & 23. Tom. II. Oper. p. 128. (*Pag.* 67.) hæreſ. 10. lib. 1. c. 26.

VIII. Prætor Autores antiquos hactenus allegatos Ebionis quoque meminit Optatus Milevitanus, eique tribuit, quod argumentatus fuerit, Patrem paſſum eſſe non Filium. Id unde

Optatus

lib. 4. de ſchiſm. Donat p. 91. Optatus hauſerit neſcio. Equidem jam apoſtolico ævo fuiſſe, qui confuſis Tribus Unius Divinæ Eſſentiæ Perſonis Patrem paſſum eſſe dicerent, confirmari quodammodo poſſe videtur ex Ignatii ad Tarſenſes & Philippenſes epiſtolis, in quibus hunc PATRIPASSIANORUM errorem aparte refutat. Verum duas iſtas Ignatii epiſtolas pſeudepigraphas eſſe ſatis conſtat. Nec probabile videtur, in hoc Patripaſſianorum errore verſatum (Pag. 68.) Ebionem, ſiquidem Jeſum merum hominem & à Patris Perſona plane alienum credidit. Quatenus tamen Ebion Chriſtum à Jeſu diſtinxit, & Chriſtum eum eſſe dixit, qui Jeſum Filium Dei appellavit, & in columbæ ſpecie deſcendit, quorum alterum Patri, alterum Spiritui S. competit, eatenus confuſione Perſonarum facta Patripaſſianis quodammodo præluſit.

IX. Unicum addo, antequam ab Ebionitis ad alios progrediar, nempe Ebionitarum ſectæ ſe addixiſſe Symmachum, unum ex Græcis Veteris Teſtamenti Interpretibus, qui à pleriſque in not. ad Epiphan. de ponder. & menſ. c. 15. ad initium tertii ſeculi, a Petavio autem non improbabiliter ad ſecundum ſeculum refertur. Hic Symmachus, cum apud Samaritanos voti ſui ambitioſi compos non fieret, ad Judæos, & poſtea à Judæis ad Ebionitas tranſiit, & ex Matthæi evangelio, quod idcirco commentariis ſuis illuſtravit, hæreſin ſuam ſtabilire auſus eſt, & iſta Symmachi in Matthæum commentaria una cum Græca veteris Teſtamenti verſione per eundem adornata Origenes ſe a lib. 5. c. 12. hiſt. eccl. quadam fœmina, cui nomen Julianæ fuit, accepiſſe teſtatur, ut refert Nicephorus. Deprompſit autem hæc Nicephorus ex Euſebii lib. 6. c. 17. cujus verba Valeſius in notis ita interpretatur, quaſi Symmachus non in Matthæum commentarium ſcripſiſſet, ſed potius contra Matthæi evangelium in ſcriptis illis diſputaſſet. Cum vero Ebionitas Evangelium Matthæi non repudiaſſe & impugnaſſe, ſed approbaſſe aliunde conſtet, ideo Valeſius inter Matthæi evangelium genuinum & ſpurium diſtinguit, hoc ab Ebionitis uſurpatum, illud impugnatum exiſtimans. Eodem loco Valeſius Ebionitas a Symmacho SYMMACHIANORUM cognomen adeptos ſtatuit, idque ex prologo commentarii epiſtolæ ad Galatas Ambroſio adſcripti, & Auguſtini lib. 1. con-

(Pag. 69.)

contra Creſconium c. 31. confirmat. Et hi Symmachiani diverſi ſunt ab iis Symmachianis, quos in ſuo catalogo Philaſtrius deſcribit.

# CAPUT VII.

## *de*

## Nazaræis et Hebraico Matthæi, quo uſi ſunt, Evangelio.

### I.

CErinthianos inter & Ebionitas medio loco Epiphanius NAZARÆOS ponit, quo nomine illud Ebionitarum genus, quod Chriſtum Spiritus S. virtute conceptum docuit, inſignitos fuiſſe, ſunt qui cum Grotio & Voſſio ſtatuunt. Verum Huetius aliter judicat, cum neutrum Ebionitarum genus Chriſti divinitatem agnoverit, quam tamen a Nazaræis agnitam fuiſſe ex Irenæo, qui inter hæreſes Nazaræorum dogmata non recenſet, & ex Philaſtrio colligit, idque Auguſtini & Damaſceni teſtimoniis confirmat. Horum enim autoritas, quibus etiam Autor Prædeſtinati addi potuiſſet, Huetio potior eſt, quam Epiphanii & Theodoreti, cum præſertim Epiphanius n. 7. ſe nihil certi hac de re aſſeverare poſſe fateatur. In hoc igitur imprimis Nazaræorum error verſatus fuit, quod Judaicæ legis obſervationem ut neceſſariam urgebant, ut præter Epiphanium n. 8. Auguſtinum in libello de hæreſ. c. 9. & alios Autores confirmat Hieronymus epiſt. 29. ubi eos in Chriſtum credere affirmat, ſed, quia & Judæi & Chriſtiani eſſe velint, nec Judæos eſſe nec Chriſtianos, item in commentar. ad Ezech. c. 16. ubi eos veteris legis obſer-

hær. 29.
proleg. ad Matth.
de genealogia Chriſti c. 2. p. 18.
not. ad Orig. p. 74.
lib. 2. hæret. fab. c. 2.

(Pag.70.) obſervantiam Evangelicæ gratiæ aptantes novum vinum in utres veteres mittere pronunciat. Tanto autem Judæi, teſte Epiphanio, Nazaræos odio proſecuti ſunt, ut eos ter de die, nimirum, mane, circa meridiem, & veſperi diris devoverint, quamvis Hieronymus ad cap. 12. Eſaiæ in omnes Chriſtianos ſub Nazaræorum nomine ter ſingulis diebus maledicta a Judæis congeſta aſſerat.

hæreſ. 29. n. 9.

Critic. nov. teſt. c. 7.

II. Simonis Nazaræorum originem refert ad Judæos, qui omnium primi Chriſtianam fidem amplexi, & per contemptum a Judæis Nazareni cognominati ſunt. A Nazaræis autem Ebionitas prodiiſſe aſſerit, quos in hoc a Nazaræis diſcrepaſſe ait, quod, cum Nazaræi integrum veteris Teſtamenti canonem cum Judæis retinuerint, Ebionitæ ſolum Pentateuchum uſurpaverint, unde quodammodo colligi poſſe putat, Nazaræorum progenitores Judæos, Ebionitarum vero majores Samaritanos fuiſſe. Aliam Nazaræorum & Ebionitarum differentiam in eo conſtituit, quod Nazaræi Hebraicum Matthæi evangelium integrum ſervaverint, Ebionitæ autem illud corruperint, & adulteraverint. Atque hinc authenticum Matthæi evangelium apud Nazaræos quærendum ſtatuit, neque dubitat, quin Matthæus Evangelium ſuum in gratiam Iudæorum Hieroſolymis commorantium ea Hebraicæ linguæ dialecto, quæ tum temporis Hieroſolymis uſitata fuit, ſcripſerit, quod poſtea ab aliis in gratiam gentilium ad chriſtianam fidem tranſeuntium græcè converſum fuerit.

III. Nec ſane nova eſt hæc de Hebraico Matthæi evangelio traditio. Papias enim Hierapolitanus Apoſtolicæ ætati proximus apud Euſebium *lib. 3. hiſt. eccl. c. 39.* Matthæum Hebraico ſermone Divina oracula conſignaſſe tradit, cui conſentit Irenæus

(Pag.71.) *libr. 3. adv. hæreſ. cap.* 1. Irenæi verba repetit Euſebius *lib. 5. c.* 8. & ipſe quoque ad hanc ſententiam accedit, cum *libr. 3. c.* 24. Matthæum, antequam a Iudæis ad alias gentes proficiſceretur, Evangelium, quod viva hactenus voce prædicaverat, patrio ſermone conſcriptum popularibus ſuis reliquiſſe refert. Idem Euſebius *lib. 5. c. 10,* Pantænum Alexandrinum Gymnaſiarcham, cum

ad

ad Indos uſque penetraſſet, Hebraicum Matthæi evangelium olim a Bartholomæo ad has regiones delatum ibi regeriſſe tradit. Addit Ruffinus Euſebii interpres, evangelium illud ex India a Pantæno ad Alexandrinos allatum, quod Hieronymus quoque *in catalog. Scriptor. eccleſ. c.* 36. aſſerit. Idem Hieronymus *cap.* 3. *catalog.* Hebraicum Matthæi evangelium ſua adhuc ætate in Cæſarienſi Pamphili Martyris bibliotheca ſervatum, & alterius cujusdam exemplaris deſcribendi copiam a Nazaræis Berrhoenſibus ſibi factam teſtatur. Nec deſcripſit modo Hieronymus Hebraicum illud Evangelium, verum etiam in Græcum & Latinum ſermonem transtulit, ut ipſe cap. 2. prædicti catalogi teſtatur, ubi & peculiarem de Jacobo hiſtoriam ex iſto Nazaræorum evangelio recenſet. Plures narratiunculas & ſententias ex Hebraico Matthæi evangelio adducit Hieronymus catalogi ſui cap. 16. ubi verba quædam ex Ignatii ad Smyrnenſes epiſtola adducit, eaque ex Hebraico iſto evangelio excerpta eſſe docet, item in commentariis ad cap. XI. Eſaiæ, ad cap. VII. Micheæ, ad Matthæi XII. & XXVII. ad cap. V. epiſtolæ ad Epheſios & libro 3. adv. Pelagianos cap. 1. Ex eodem ſecundum Hebræos evangelio dictum aliquod allegat Clemens Alexandrinus l. 2. Strom. p. 278. & eodem Hebraico evangelio lectam fuiſſe hiſtoriam mulieris cujusdam multorum criminum accuſatæ Papias autor eſt apud Euſebium lib. 3. c. 39. qui etiam lib. 4. c. 22. Hegeſippum nonnulla ex iſto Evangelio retuliſſe meminit. (*Pag.* 72.)

IV. Ex eodem Evangelio Origenes ad cap. 19. Matthæi hiſtoriam juvenis bona ſua vendere & pauperibus dare nolentis aliter recenſet, ac in græco Matthæi textu memoratur. Dicit enim juvenem cœpiſſe ſcalpere caput ſuum, & Dominum dixiſſet quomodo legem impleviſti? ecce multi fratres tui amicti ſunt ſtercore, & morientur præ fame, & domus tua plena eſt, & nihil inde egreditur. Notamus tamen, non tam ipſum Origenem, quam veterem Latinum Origenianorum in Matthæum commentariorum interpretem, qui in Latinis operum Origenis editionibus exhibetur, hæc ex Hebraico Matthæi evangelio retuliſſe. In græcis enim exemplaribus additamentum illud non

legitur, unde & a novo Origenis interprete Huetio omiſſum deprehenditur. Interim tamen ipſum quoque Origenem in ea ſententia fuiſſe, quod Matthæus Evangelium ſuum Hebraice ſcripſerit, ex libro 1. expoſitionum in Matthæum manifeſtum eſt, ſeu potius ex fragmento libri 1. quod Euſebius lib. 6. hiſt. eccl. c. 25. conſervavit, indeque in Græcum ſuum Origenem transſcripſit Huetius Tom. I. p. 203. Confirmant hanc de Hebraico Matthæi Evangelio ſententiam Hippolytus Martyr in libello de 12. Apoſtolis *tom. 2. auctar. novi Bibliothecæ Patrum Græc. Lat. a Combefiſio vulgati*, Athanaſius in Synopſi S. Scripturæ, Epiphanius *hær.* 29. *n. 9. & 51. n. 5.* Chryſoſtomus *homil. 1. in Matth.* Auguſtinus *lib. 1. de conſenſu Evangel. c. 2.* Theophylactus in proœmio ad Matthæum, Beda in Martyrologio. *Tom. III. p. 451.* Martyrologium Romanum d. 21.
(*Pag. 73.*) Septembris, Autor Menologii, quod Baſilii junioris Imperatoris Conſtantinopolitani juſſu quondam conſcriptum ex latina verſione Petri Arcudii. Ferdinandus Ughellus Tom. VI. Italiæ ſacræ edidit, d. 16. Novembris, quo Matthæi memoriam Græci recolunt, His addi poſſent Scriptor quidam Mahumedanus allegatus a Seldeno in notis ad Eutychii origines Alexandrinas p. 152. nec non Interpres Syrus & Arabs in clauſulis ad Matthæi Evangelium adjectis, item Autor verſionis Perſicæ, qui Matthæi Evangelium in urbe Palæſtinæ Hebraice dictum Antiochiæ Syriaco ſermone conſcriptum refert, & Scriptor, qui Evangeliſtarum vitas Arabice conſignavit, cujus verba non recte interpretatum Kirſtenium monet Le Moynius in prolegomenis ad varia
fol. 10. ſacra.

V. Ulterius ſtabilitur hæc ſententia de Hebraico Matthæi evangelio narratione Epiphanii, qui Joſephum quendam He-
hæreſ. 30. n. 5. braicum Matthæi evangelium in Judæorum theſauris inveniſſe refert. Quamvis enim Latinus Epiphanii interpres Dionyſius Petavius τὸ κατὰ Ματθαῖον ἑβραϊκὸν φυτὸν tantum de Hebraica Matthæi genealogia interpretetur, Johannes tamen Doujatius
lib. 1, c. 15. Anteceſſorum Pariſienſium primicerius in prænotionibus juris canonici haud ita pridem vulgatis τὸ φυτὸν vertendum eſſe cenſet germen ſeu fœtum, & Hebraicum fætum nihil aliud eſſe

Digitized by Google

eſſe quam Hebraice ſcriptum Matthæi evangelium. Neque omittenda hic relatio de Hebraico Matthæi evangelio ſub Zenonis imperio una cum Barnabæ relliquiis invento, quæ legitur in Sigeberti Gemblacenſis chronico ad An. Chriſti 409. Nec aliam ob cauſam harmoniam evangelicam Tatiani a nonnullis, quorum Epiphanius meminit, Evangelium ſecundum Hebræos dictam Hugo Grotius in prolegomenis ad Matthæum ſuſpicatur, quam quod non modo græcis codicibus, ſed Hebraico etiam evangelio uſus fuerit, quam ſententiam etiam Gerhardo Johanni Voſſio in diſſertatione de genealogia Chriſti probatam video. Ad hæc omnia accedit, quod ſub Matthæi nomine duplex evangelii Hebraice ſcripti editio ſuperiori ſeculo lucem publicam adſpexerit, una quidem a Sebaſtiano Munſtero cum ejusdem verſione & notis Baſileæ A. 1537. primum edita, & Henrico IIX. Angliæ Regi dedicata, & poſtea a Johanne Quinquarboreo A. 1551. Pariſiis recuſa, qui Evangelium illud authenticum eſſe ſibi perſvadet, & tantum optat, ut Munſterus, qui mutilum & lacerum Judæis extorſit, ea, quæ reſtituit, aut de ſuo addidit, aſteriſco notaſſet: altera vero a Johanne Tilio ex Italia in Gallias delata, a Johanne Mercero latine reddita, & A. 1555. Pariſiis vulgata.

hæreſ. 46. n. 1 (Pag. 74.)

cap. 2. p. 17.

VI. Verum neutrum ex duobus illis Hebraicis exemplaribus a Matthæo profectum, ſed utrumque e latina interpretatione Hebraice converſum exiſtimat Huetius in tractatu de claris Interpretibus, ubi verſionem illam Judæis tribuit. Alii vero ne ab Hebræis quidem Hebraicam hanc Matthæi verſionem promanaſſe cenſent. Et quamvis Ludovicus a Dieu Munſterianam & Tilianam editionem inter ſe conferens Tilianæ ſtylum terſiorem aſſerat, nonnulla tamen etiam in Tiliano Matthæi evangelio deſiderat, ac inter alia animadvertit, Autorem hujus evangelii Matth. XVI, 17. 18. Romano Pontifici adulari, quod tamen exſcriptori potius quam ipſi interpreti tribuendum ſuſpicatur Caſaubonus. Nec ipſe Mercerus editionem ſuam pro genuino Matthæi opere venditare audet. Multo magis ſuſpecta eſt Munſteriana editio ob crebriores ſolœciſmos & bar-

p. 181.

p. 529. & 530.

exerc. 15. c. 12. (Pag. 75.)

Crit. S. p. 87. I, 2. barbariſmos a Pfeiffero & aliis notatos. Sane Autor ille quiſ-
p. 21. quis fuit in ipſo ſtatim limine impegit, ut Scherzerus in anti-
Tom. I. Panſtr. Bellarmino ſuo obſervat, niſi forte cum Chamiero hujusmodi
lib. 12. c. 1. errores ipſi Munſtero tribuere velimus, qui manuſcriptum, quod a Judæis lacerum accepit, dum redintegravit, ad exigua hæc non usque adeo attendit, quæ origine Hebræus diligentius obſervaſſet, quod Ludovici a Dieu eſt judicium, Quocirca
append. ad Matth. p. 501. Nicolaus V. qui, ut ex Johannis Eckii homilia de Matthæo Cornelius a Lapide retulit, Hebraicum Matthæi evangelium ad ſe allaturo quinque ducatorum millia promiſit, pro Munſteriano vel Tiliano Matthæi evangelio tantam pecuniæ ſummam daturus vix fuiſſet.

VII. Fatebitur Simonius, non ſupereſſe amplius Hebraicum Matthæi evangelium, ſed una cum Nazaræorum & Ebionitarum ſectis extinctum eſſe dicet, interim contendet, omnino Matthæum ſuum evangelium Hebraice ſcripſiſſe, cum totius antiquitatis conſenſu id probari poſſit. Et fateor, Patrum autoritatem noſtratium nonnullis tanti eſſe, ut evangelium a Matthæo Hebraice ſcriptum eſſe inficiari nolint, dummodo id maneat, Græcum, quo hodie gaudemus, textum, omni tempore authenticum habitum fuiſſe, fuiſſet licet non primitivus, ſed per verſionem Jacobi derivativus, ut Dannhauerus in Chriſtei-
p. 110. de ſua loquitur. Unde & Glaſſius in hac controverſia liberam cuilibet optionem relinquit ſive affirmativam ſive negativam eligendi, modo græco textui authentica ſua relinquatur autori-
Phil. S. libr. 1. tas. Verum obſervandum, primum inter Patres, qui Hebrai-
tr. 4. ſect. 2. c. 1. cum Matthæo evangelium tribuerunt, eſſe Papiam mediocri in-
p. 231. genio præditum, & incertis rumuſculis nimis deditum, quibus
(Pag. 76.) lib. 3. c. 39. coloribus ab Euſebio delineatur. Huic ergo Nazaræi & Ebionitæ, qui hoc evangelio uti conſueverant, haud difficulter imponere potuerunt, ut ab ipſo Matthæo ſcriptum crederet. Papiæ oſcitantia Irenæum quoque & alios oſcitare fecit. Neque tamen ab omnibus receptum, ſed a quibusdam repudiatum fuiſſe Hebraicum Matthæi evangelium Euſebius lib. 3. cap. 25. innuit, quemadmodum & Hieronymus ad cap. 12. Matthæi evangelium

illud

illud tantum a quibuſdam pro authentico habitum aſſerit, ubi ex iſto evangelio hominem illum, cujus arida manus a Chriſto ſanata eſt, cæmentarium fuiſſe, & his verbis Chriſti auxilium imploraſſe refert: cæmentarius eram, manibus victum quærens, rogo ut ſanitatem reſtituas, ne turpiter cibos mendicare neceſſe mihi ſit. Idem Hieronymus lib. 3. adverſus Pelag. c. 1. evangelium illud a quibuſdam non ſecundum Matthæum, ſed ſecundum Apoſtolos dictum eſſe ſcribit, quo loco Hieronymus ex iſto Evangelio hæc excerpit: *ecce mater Domini & fratres ejus dicebant ei: Johannes Baptiſta baptizat in remiſſionem peccatorum, eamus & baptizemur ab eo. Dixit autem iis: quid peccavi, ut vadam & baptizer ab eo, niſi forte hoc ipſum, quod dico, ignorantia eſt.* Item verba Chriſti ad Petrum: dico tibi ſeptuageſies ſepties in die fratri tuo remittes. *Etenim in Prophetis quoque, poſtquam uncti ſunt Spiritu Sancto, inventus eſt ſermo peccati.* Et apud Theodoretum Evangelium Nazaræorum κατὰ Πέτρον nuncupatur, niſi forte librariorum vitio ibi evangelium ſecundum Petrum dicatur, quod ſecundum Hebræos dicendum fuiſſet. Non poteſt itaque Hebraicum Matthæi evangelium unanimi totius antiquitatis conſenſu probari, cum non ſolum nonnulli ex aliena relatione & admodum dubitanter Hebraicum evangelium Matthæo tribuerint, ſed etiam nonnulli id plane ut apocryphum repudiaverint, aut de Autore incerti fuerint. Haud magis inter eos convenit, fueritne illud evangelium ſermone pure Hebraico conſcriptum, an Syro ſeu Chaldaico & literis tantum Hebraicis. Nec de interprete, qui in Græcam linguam hoc Evangelium tranſtulerit, certi aliquid afferunt. Hieronymus in catalog. Script. eccl. c. 3. nihil de interprete conſtare ſibi fatetur, Athanaſius in ſynopſi S. Scripturæ Jacobo verſionem illam tribuit, Theophylactus in proœmio ad Matthæum Johanni, Anaſtaſius Sinaita lib. 8. anagogicarum contemplationum in Hexaemeron Lucæ & Paulo. Nec defuerunt, qui Barnabæ interpretationem græcam evangelii illius Hebraici tribuerunt, ſi credimus Caſaubono exercit. 15. in Baron. c. 12. p. 279. Quis autem inter veteres Barnabam Græcæ interpretationis Autorem

lib. 2. fabul. hæret.

(Pag. 77.)

torem

torem faciat, neſcire me fateor. Novi quidem B. Waltherum in
P. 77. officina biblica Nicephorum lib. 12. c. 37. allegare. Verum nihil ibi de Hebraico Matthæi evangelio invenire potui. Dicit quidem Nicephorus lib. 16. c. 37. inventum Matthæi evangelium propria Barnabæ manu ſcriptum, ſed Hebraicum illud fuiſſe & a Barnaba Græce redditum non dicit. Imo potius lib. 2, c. 46. Hebraicum Evangelium Matthæi inter adulterina ſcripta numerat. Marco græcam Matthæi interpretationem Euſebium & Hieronymum acceptam tuliſſe, etſi Gerhardus in exegeſi Loc. de Scriptura §. 243. & in prolegomenis ad Matthæum aſſerat, valde
(*Pag.* 78) tamen vereor, ne memoria hic ipſum fefellerit, cum nuſquam in Euſebii vel Hieronymi ſcriptis tale quid legatur.

VIII. Clauſulæ verſioni Syriacæ & Arabicæ adjectæ parum probant, cum ne eas quidem ſubſcriptiones, quæ originali textui
Philol. Hebr. ſubjectæ leguntur, authenticas & Divinæ autoritatis eſſe præter
Græc. p. 138. alios Leusdenius obſervarit. Sane ſubſcriptiones epiſtolis Paulinis additas pſeudepigraphas, quaſdam etiam falſas eſſe, Beza in ſuis annotationibus demonſtravit. Et ad Matthæum quidem in vulgatis græcis Novi Teſtamenti codicibus nulla ſubſcriptio addita reperitur. At in codice MSC. vetuſtiſſimo, quem Beza A-
p. 127. cademiæ Cantabrigienſi donavit, & quem Colomeſius in epiſtola ad Juſtellum Voſſianæ ad Melam appendici ſubjuncta vel ab ipſo Jrenæo uſurpatum, vel ex Irenæi exemplari deſcriptum ſuſpicatur, clauſula aliqua legitur, quæ hoc Evangelium octavo poſt Chriſti aſcenſionem anno ſcriptum affirmat, nulla Hebraici ſermonis mentione facta.

IX. Hiſtoria evangelii Hebraici a Joſepho quodam inventi nihil probat. Unde enim conſtat, exemplar illud non fuiſſe ex Græco Hebraice converſum, quemadmodum & Johannis Evangelium ibidem & eodem tempore repertum, ipſo Epiphanio fatente Hebraice fuit redditum? Habemus hodie totum Novum Teſtamentum Hebraicum, neque tamen inde ſequitur, quod primitus Hebraice ſcriptum fuerit. De evangelio, quod in Cæſarienſi bibliotheca ſuo tempore ſervatum Hieronymus tradit, ſimile

ſimile eſt Ligtfooti judicium, ſtatuentis, quod a converſo quodam Judæo e Græcis fontibus in Hebraicum ſermonem translatum fuerit, ut docti inter Judæos ad illud legendum eo facilius permoverentur. Quæ de Hebraico Matthæi Evangelio apud Indos invento Euſebius retulit ex incerto rumore hauſta, (*Pag.79.*) indicat, cum ait: λέγεται. Evangelium autem cum Barnabæ reliquis inventum Hebraicum fuiſſe neſcio unde Sigebertus hauſerit. Theodorus Lector Sigeberto longe antiquior, qui primus lib. 2. hiſt. eccl. inventionis illius, quod ſciam, meminit, ſimpliciter Evangelium p. 557. Matthæi inventum aſſerit, de lingua nihil addit, quemadmodum nec Suidas in lexico, nec Joel in chronographia, Cedrenus in p. 1114. in voce compendio hiſtoriarum, & alii. Imo græcum non hebraicum θεῖνα fuiſſe illud evangelium perſuadet Alexandri Monachi relatio, Joel. p. 172. apud Lipomannum & Surium in vitis Sanctorum d. XI. Junii Cedren p. 353. narrantis, quod Evangelium cum Barnaba inventum in Impe- Tom. I. ratoris palatio repoſitum, & quotannis quinta Paſchæ feria in palatii oratorio Evangelica pericope ex eo libro recitata fuerit. Hebraicum autem Evangelium in Græci Imp. aula lectum fuiſſe veriſimile non eſt, ut taceam Græcos in ſynaxario non Matthæi ſed Marci Evangelium cum Barnaba inventum aſſerere apud Combefiſium in auctario noviſſimo bibliothecæ Patrum Græco-Latinorum Tom. I. p. 489. Nec obſtat ratio Stephani Le Moyne, qui in prolegomenis ad varia ſacra evangelium in Barnabæ pridem defuncti pectore inventum Hebraicum fuiſſe ex eo arguit, quod non modo Matthæus ad Judæos præcipue Evangelium ſuum ſcripſerit, ſed Barnabas quoque ſimiliter Judæorum imprimis ſaluti & converſioni vigilantiſſime incubuerit. Nam & alii Apoſtoli, qui de Judæorum converſione & ſalute ſoliciti fuerunt, non Hebraice ſed Græce ſcripſerunt. Incongruum enim Ligt- p. 188. & ſeq. footo in horis ad Matthæum Talmudicis videtur, cum jam rejiciendus eſſet populus Judaicus, qui præ omnibus terrarum in- (*Pag.80.*) colis maxime Evangelium ſperneret & oppugnaret, linguam Judæorum ſive Hebraicam, quæ cum temporis vulgo ignota, non niſi a doctis intelligebatur, ſive Syriacam tanquam vernaculam, aut affinem Chaldaicam eo dignitatis evehere, ut lingua originalis Novi Teſtamenti foret, congruum vero potius, cum gentes

ad fidem vocandæ eſſent, ut Novum Teſtamentum lingua gentilitia & inter gentilitias nobiliſſima ſeu Græca tum temporis longe lateque notiſſima ſcriberetur. Quibus conſideratis facile etiam reſponderi poterit Kirſtenio, qui putat ſingulari Dei conſilio Matthæum Hebraicæ ſcripſiſſe, ut populus Judaicus in ultima judicii die eo minus excuſationis habere poſſit. Quid enim excuſationis habebunt, quibus Evangelium & vernacula lingua annunciatum, & Græca ipſis pariter nota ſcriptum fuit?

X. Suſpectum quoque reddunt Hebraicum Evangelium narratiunculæ, & ſententiæ, quas Hieronymus & alii paſſim inde excerpunt, Matthæo Apoſtolo indignæ, & ab Evangelica hiſtoria alienæ. Tanta certe fuit Hebraici a Patribus toties laudati Evangelii a quatuor Novi Teſtamenti Evangeliis diverſitas, ut quintum Evangelium haberi potuerit, indeque factum putat Grotius in prolegomenis ad Matthæum, quod Tatianus harmoniam ſuam evangelicam, non διὰ τεσσάρων ſed διὰ πέντε appellaverit. Equidem Voſſius in diſſertatione de genealogia Chriſti p. 15. exiſtimat, Hebraicum Matthæi Evangelium primitus nihil aliud habuiſſe, niſi quod nunc in Græco legimus, ſed ſucceſſu temporis a Nazaræis & Ebionitis mutilatum & interpolatum fuiſſe. Simonius, ut jam ſupra indicavimus, inter Hebraicum Nazaræorum & Ebionitarum Evangelium diſtinguit, cum Ebionitæ Evangelium hoc peſſime corruperint, ac inter alias depravationes (Pag. 81.) Chriſti genealogiam abſtulerint, quod ne Cerinthus quidem & Carpocrates auſi, qui potius ex iſta genealogia Chriſtum merum eſſe hominem probare voluerunt, Nazaræi autem Evangelium hoc integrum & incorruptum ſervaverint, unde & Epiphanius Evangelium Nazaræorum πληρέστατον appellet, nec cauſæ quicquam ſit, ut cum Caſaubono hanc Epiphanii lectionem addita particula negativa corrigere velimus. Equidem negare non audet Simonius, etiam Nazaræos nonnulla ad Matthæi textum addidiſſe, additiones tamen illas non eſſe aſpernandas monet, cum ex antiqua traditione originem ſuam ducant, ſiquidem tum temporis id in more Chriſtianis poſitum fuerit, ut ab Apoſtolorum diſcipulis ſciſcitarentur, quid a Magiſtris ſuis audiviſſent. Additiones

tiones igitur iſtas authenticæ Hebraici Evangelii autoritati nihil obeſſe putat, quin etiam nonnullis in locis Græcum textum Hebraico Nazaræorum Evangelio poſtponendum videri e. g Matth. XXIII, 36. ubi in Hebraico Evangelio Zacharias Jojade Filius Hieronymo teſte, appellatur, quem Græci codices Barachiæ filium faciunt. Aſſerit præterea, Græcum quoque textum additiones ſuas paſſum, & in eam proclivis eſt ſententiam, quod hiſtoria adulteræ Joh. VIII. quæ olim in plurimis codicibus deſiderata fuit, ex Hebraico Matthæi Evangelio nonnullis Johannei Evangelii exemplaribus inſerta fuerit, cum Papias hanc hiſtoriam in Hebraico Matthæi evangelio lectam fuiſſe apud Euſebum teſtetur. Verum unde probabit, mulierem multorum criminum accuſatam, cujus Papias meminit, eandem eſſe cum adultera, quam Johannes deſcribit? Aut, ſi eadem ſit, non potius Autorem Hebraici Evangelii e Johanne eam mutuatum eſſe? Falſum vero eſt præterea, additiones Hebraici evangelii hujuſmodi eſſe, ut repudiari non debeant. Refert Hieronymus in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum c. 3. ex Hebraico Nazaræorum Evangelio hanc hiſtoriam: *Dominus* [e ſepulchro reſurgens] *cum dediſſet ſindonem ſervo Sacerdotis, ivit ad Jacobum, & apparuit ei. Iuraverat enim Iacobus, ſe non comeſturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum reſurgentem a mortuis* &c. Credere hæc Simonium vix credere. Evangeliſtæ dicunt, Chriſtum reſurgentem lintea in ſepulchro reliquiſſe, non ſervo Sacerdotis dediſſe. Nec probabile eſt tali jurejurando ſe Jacobum obſtrinxiſſe, cum Evangeliſtæ nullam ſpem reſurrectionis Dominicæ in diſcipulorum cordibus reliquam fuiſſe memorent. Adhæc Autor Evangelii Hebraici Chriſtum inter primos Iacobo apparuiſſe inſinuat, at Paulus 1. ad Cor. XV. apparitionem Iacobo factam inter poſtremas numerat. Quod ſi Chriſtus paulo ante aſcenſionem Iacobo apparuit, quomodo inediam tamdiu ferre potuit? Unde narrationem illam de Iacobo ab Heſſelio haud immerito pro falſa reputari Eſtius agnoſcit. Unicum adhuc Hebraici Evangelii fragmentum ſpeciminis loco adducere placet ex Hieronimi in Micheæ cap. 7. commentariis. Ita autem

(*Pag. 82.*)

Comment. ad 1. Cor. XV. 7.

tem ſe habet: *modo me tulit mater mea Spiritus S. in uno capillorum meorum.* En hujuſmodi fuerunt, quæ Nazaræi in ſuo Evangelio legerunt.

XI. Nolo urgere Providentiam Divinam non permiſſuram, ſervato incerti Interpretis textu originalem intercidere, & alia
(*Pag.* 83.) quædam argumenta, quæ contra Matthæi Evangelium Hebraicum afferri ſolent. Ex iis enim, quæ jam dicta ſunt, abunde patere puto, ſi non falſum, ſaltem incertum eſſe, quod Matthæus Hebraice ſcripſerit. Unde abſonum plane eſt Baronii judicium, qui Græcum Matthæi textum ab Hebraico tanquam originali dependere pronunciat, quo nomine ipſum pro merito caſtigavit
Exercit. 16. c 115. Caſaubonus. Sic enim nulla erit Græci textus autoritas, cum originalis Hebraicus, a quo dependere dicitur, nuſquam hodie compareat. Abſona quoque ſunt, quæ pro Hebraico Matthæi
Tom. II. appar. ſacr. p. 86. Evangelio Poſſevinus affert, cum ait, Matthæum non ſolum Judæis & Syris, ſed orientalibus omnibus ſcripſiſſe, quorum vel ultimi Indi ea lingua ut docta & grammatica uſi fuerint, & adhuc hodie utantur, miſſam Hebraice canentes, præterea Matthæum Æthiopibus quoque inſervire voluiſſe, Æthiopes autem Syriace non noviſſe, minus Græce, cum interim in puerilibus gymnaſiis diſcerent Hebraice, quod probat Exemplo Eunuchi ex Æthiopia, quem in curru ſuo Eſaiam legiſſe ex Act. VIII. conſtet. Sed nolumus his confutandis immorari. Addimus tantum Baronio &
ſect. 3. p. 151. Poſſevino Joſephum Antonium Gonſalez de Salas, Equitem Hiſpanum, qui in mantiſſa ad tractatum de duplici terra viventium impudenter aſſerit, idubium eſſe, quod Matthæus Evangelium ſuum Hebraico ſermone ſcripſerit, in ipſo profectionis procinctu velut feſtino ac properato opere, ita, ut penſi non haberet, quo ordine Domini geſta exprimeret, ſed potius, quæ memoria ſuggereret, illico conſignaret.

CA-

Digitized by Google

(Pag. 84.)

# CAPUT IIX.

de

## Hermogene, Phygello, Dema, Hymenæo, Phileto, Alexandro & Diotrephe.

I.

CUm Ebione & Cerintho, quibus ob communem Judaiſmum Nazaræos junximus, Epiphanius hæreſ. 51. quæ eſt Alogorum c. 6. inter hoſtes Divinitatis Chriſti præter Dleobium ſupra memoratum refert Claudium quendam, Demam, & Hermogenem. n. 6. Eum autem dubio procul intelligit HERMOGENEM, quem cum PHYGELLO Paulus 2. Tim. I, 15. perfidiæ arguit, etſi de ipſorum hæreſi Paulus ibi nihil referat, ſed tantum ſe ab iis deſertum conqueratur. Nihilo tamen minus etiam Tertullianus in libro adverſus alium Hermogenem, ne apoſtolicum quidem Hermogenem in fidei regula perſeveraſſe ſcribit, ſub Apoſtolici Hermogenis nomine eum perſtringens, qui Pauli ævo floruit. DEMAM quoque Epiphanius non alium intelligere videtur, quam qui Pauli quondam familiaris, ut ex epiſtola ad Philemonem v. 24. & Coloſſ. IV, 14. conſtat, poſtea tamen amore ſeculi dementatus optimum Doctorem peſſime deſtituit, de qua perfidia Timotheum admonet 2. Tim. IV, 10. Quod autem Chriſtum nudum hominem eſſe Demas docuerit, ante Epiphanium nemo asſervit. Dorotheus eum Theſſalonicam profectum ſcribit, ut idolorum Sacerdos fieret.

 II. In

(Pag. 85.) II. In eadem poſteriori ad Timotheum epiſtola cap. II. 17. HYMENÆI & PHILETI Apoſtolus meminit, docentium reſurrectionem jam factam eſſe. Nimirum, ut Theodoretus (Tom. III. Oper. p. 498.) eorum ſententiam explicat, τὰς ἐκ παιδοποιίας διαδοχὰς ſeu continuas ſucceſſiones, quæ per liberorum procreationem fiunt, reſurrectionem appellabant. Alium modum reſurrectionis ab Hymenæo & Phileto traditæ adducit Pelagius in commentario ad Epiſtolas Pauli, qui inter opera Hieronymi Tom. 8. Victorianæ editionis legitur, cum eos in liberatione Iſraelis ex captivitate Babylonica per aridorum oſſium vivificationem Ezechielis c. 37. præfigurata reſurrectionem jam factam ſomniaſſe ſcribit. (p. 97.) Sedulius in commentario ad epiſtolas Pauli præter illam de liberorum procreatione ſententiam duas alias adducit aſſerens, ex hæreticorum iſtorum ſententia reſurrectionem jam factam in iis, quorum corpora cum Chriſto reſurrexerunt, aut per animarum in alia atque alia corpora tranſitum. Theophylactum, Hymenæi & Phileti ſententiam de annua rerum renovatione interpretari Autor eſt Cornelius a Lapide, verum in Theophylacti ad hunc locum commentariis nihil tale legi, alii Interpretes jam pridem obſervarunt. Imprimis vero Hymenæus & Philetus ex eo nullam amplius reſurrectionem expectandam ſtatuiſſe videntur, quod in regeneratione per baptiſmum & pœnitentiam, quæ reſurrectionis cujusdam inſtar eſt, jam facta fuerit, ut ab Auguſtino epiſtol. 119. & Pſeudo-Anſelmo in comment. ad h. l. ſententia Hymenæi & Phileti explicatur. Fortaſſe autem Hymenæus & Philetus doctrinæ ſuæ peſte etiam Corinthios afflarunt. Sane Corinthiorum (Pag. 86.) nonnulli, undecunque errorem illum hauſerint, reſurrectionem mortuorum in dubium vocarunt, quos Apoſtolus 1. Cor. XV. curandos ſuſcipit.

III. Cum Hymenæo in fidei & bonæ conſcientiæ naufragio 1. Tim. I. v. ult. ALEXANDER jungitur, qui juxta 2. Tim. IV. 14. pluribus malis Apoſtolum affecit. Cum enim illiberalem artem exerceret, ex ſola adverſus Paulum inſania juxta Theodoretum gloriam captavit. Neque hic omittendus DIO-

TRE-

Digitized by Google

TREPHES, qui ſua ambitione, maledicentia & inſolentia S. Johanni haud exiguam moleſtiam creavit, ut ex tertia Johannis epiſtola v. 9. & 10. liquet, ad quem locum Beda notavit, quod hic Diotrephes hæreſiarcha illius temporis ſuperbus & inſolens fuerit, qui nova docendo primatum ſibi ſcientiæ uſurpare maluerit, quam ſanctæ eccleſiæ humiliter auſcultare mandatis. Addit Bartholomæus Petri, qui Eſtianum in Apoſtolicas epiſtolas commentarium ſupplevit, credibile eſſe, quod Diotrephes quidam ex illis Judæis titulotenus Chriſtianis fuerit, qui Chriſti fidem ita ſuſcipiendam docebant, ut ſimul cerimonias Moſaicæ legis ſervandas ſtatuerent, quorum Magiſtros Paulus Pſeudapoſtolos appellare conſuevit. Ceterum loco illo Johanneo adverſus Epiſcoporum primatum utitur Blondellus in apologia pro ſententia Hieronymi p. 13. cui & Waloni Meſſalino ſeu Salmaſio quid reſponderit Hammondus videatur capite 13. diſſertationis primæ ſeu præliminaris de juribus epiſcopatus.

Tom. V. Oper. p. 1050.

(Pag. 87.)

# CAPUT IX.

## de Nicolao & Nicolaitis.

### I.

ANnumerandi quoque Hæreſiarchis ævi Apoſtolici NICOLAITE, quorum opera ipſe Dominus ſe odiſſe profitetur, non obſcure indicans, eos neque ab idolothytis, nec a fornicatione abhorruiſſe Apocal. II, 6. 14. 15. Et ad hæc duo capita Irenæus etiam ex hoc ipſo Apocalypſeos loco Nicolaitarum errores revocat. Alibi tamen Irenæus Nicolaitas præterea de Deo & Chriſto perperam ſenſiſſe teſtatur. Et Auguſtinus in libello de hæreſibus Autor eſt, Nicolaitas non Deo, ſed Poteſtatibus quibuſdam, quas mirabili vanitate vel finxerint vel crediderint, creationem

lib. 1. c. 27. lib. 3. c. 11. c. 5.

uni-

Digitized by Google

tribuiſſe. Plura dogmatum Nicolaiticorum portenta barbaris vocibus involuta variiſque viſionibus & ſomniis innixa Philaſtrius *de hæreſib. c. 33.* & Epiphanius *hæreſ. 25.* recenſent. Quæ in Hieronymi indiculo de Nicolaitis corrupte leguntur, emendavit c. 3. p. 8. Cotelerius in monumentis eccleſiæ Græcæ *Tom. 1. p. 763. 764.* Præter hos videri etiam poterunt de Nicolaitis Autor conſtitutionum Apoſtolicarum *lib. 6. c. 8.* qui Nicolaitas, omni verecundia & pudore ſublato, ſcortatos memorat, & Autor Prædeſtinati *hæreſ.* 4. qui cum nonnulla de Autore hujus hæreſeos præmiſiſſet, iſta ſubjicit: *hos damnavit S. Iohannes Apoſtolus & Evangeliſta, & juſſit, ut quicunque cum iis vel ſermonem colloquii miſcuiſſent, ex hoc ipſo communione privarentur. docens rationabiliter, a mundi origine Deo caſtitatem placuiſſe, nunc autem in ſeipſo* (Pag. 88.) *Chriſtum Dei Filium caſtitatis gloriam dedicaſſe; cum Virginem poſſidens matrem Virgo manſurus nullum diſcipulorum ſuorum commixtione etiam legitimi conjugii uti permiſit,* quam poſtremam aſſertionem a S. Johannis & Apoſtolorum doctrina alienam eſſe quilibet agnoſcit. Unde etiam haud obſcure liquet, quid de Petri Damiani ſententia ſtatuendum, qui Nicolai hæreſin in eo conſtituit, quod Clericos cujuslibet ordinis nuptialibus fœderandos conjugiis docuerit.

II. Nicolaum, a quo Nicolaitæ cognominantur, fuiſſe Proſelytum illum Antiochenum, & unum e ſeptem Diaconis primitivæ eccleſiæ, quorum in Actis Apoſtolicis mentio, inter Veteris con-
Act. VI, 5. venit. Utrum vero Nilcolaus ille vere hæreſeos hujus Autor extiterit, nec ne haud omnes conſentiunt. Quidam enim Nicolaitarum hæreſin damnant, ſed ipſum Nicolaum hac doctrinæ peſte imbutum fuiſſe negant, contra alii Nicolaum cum Nicolai-
cod. 232. fol. 477. edit. Hoſchel. tis ejusdem furfuris fuiſſe cenſent. In priori claſſe Stephanus Gobarus apud Photium in bibliotheca nominat Theophorum Ignatium, Clementem Stromatea, Euſebium Pamphili & Theo-
p. 168. edit. Amſtel. doretum Cyri Epiſcopum. Et Ignatius ſane φεύγετε, inquit in epiſtola ad Tarſenſes, καὶ τοὺς ἀκαθάρτους Νικολαΐτας, τοὺς ψευδωνύμους, τοὺς φιληδόνους, τοὺς συκοφάντας, i.e. *fugite quoque immundiſſimos*

*diſſimos illos falſi nominis Nicolaitas, amatores libidinis, malos calumniatores*, quibus verbis in vetere verſione vulgari hæc ſubjiciuntur : *Non enim talis fuit Apoſtolorum miniſter Nicolaus.* Equidem vulgo legitur : *Nam talis fuit Apoſtolorum miniſter Nicolaus.* Verum Jacobus Uſſerius ex codicibus quibuſdam manuſcriptis genuinam lectionem reſtituit, cum altera lectio menti Scriptoris plane adverſetur. Quomodo enim ψευδωνύμους Nicolaitas dicere potuiſſet, ſi Nicolaus ejuſdem cum illis notæ fuiſſet ? niſi forte cum Alcaſare dicere velimus, propterea Nicolaitas à Scriptore illo Pſeudonymos dici, quod, cum Nicolai nomen à victoria dictum ſit, ipſi potius à malis ſuis cupiditatibus victi fuerint. Haud abſimilis Ignatii locus extat in epiſtola ad Philadelphienſes. Sic enim ibi ſcribit : ἐάν τις ταῦτα μὲν ὁμολογεῖ, λέγῃ δὲ τὰς παρανόμους μίξεις ἀγαθόν τι εἶναι, καὶ τέλος εὐδαιμονίας ἡδονὴν τίθηται, οἷος ὁ ψευδώνυμος Νικολαΐτης, οὗτος οὔτε φιλόθεος, οὔτε φιλόχριστος εἶναι δύναται, ἀλλὰ φθορεὺς τῆς οἰκείας σαρκὸς, καὶ διὰ τοῦτο τοῦ ἁγίου πνεύματος κενὸς καὶ τοῦ Χριστοῦ ἀλλότριος i. e. juxta veterem vulgatam verſionem : *ſi quis hac confeſſus fuerit, dicit autem quasdam iniquas mixtiones aliquid boni eſſe, & finem beatitudinis voluptatem ponit, qualis ille falſo nomine Nicolaita, hic neque Dei amicus neque Chriſti amator eſſe poteſt, ſed corruptor propriæ carnis, & propterea à Spiritu Sancto deſertus eſt, & à Chriſto alienus.* Notamus autem verba, quæ ex Ignatii ad Trallianos & Philadelphienſes epiſtolis excerpſimus, legi quidem in Ignatii epiſtolis, quales à Jocobo Fabro, Jodoco Clichtoveo, Symphoriano Champerio, Valentino Pacæo, Gulielmo Morelio, Andrea Geſnero, Hieronymo Vairlenio, Johanne Jacobo Grynæo, Martiali Mæſtræo, Nicolao Vedelio & aliis editæ, at in ſincerioribus Ignatii editionibus, quales beneficio antiquæ cujuſdam Latinæ verſionis in Anglia repertæ, & codicis cujuſdam Græci in bibliotheca Medicea Florentiæ ſervati Jacobus Uſſerius & Iſaacus Voſſius vulgarunt, verba iſta de Pſeudonymis Nicolaitis non

In not. ad epiſtol. Ignat. p. 28.

(*Pag. 89.*)

p. 182.

(*Pag. 90.*)
pag. 4.

M com-

comparent, quod haud mirandum, cum Ignatius in epiſtola ad Smyrnenſes ſcribat, quod hæreticorum, quoad pœnitentiam agant, nominatim meminiſſe nolit. Itaque Gobarus apud Photium pro Ignatio interpolatorem Ignatii nominare debuiſſet.

III. Ignatio Gobarus jungit Clementem Alexandrinum. p. 301. Is enim *lib. 2. Stromatum* hanc ſententia Nicolai: *δεῖ παραχρῆσθαι τῇ σαρκὶ oportet carne uti*, ab iis, qui ſe Nicolaitas appellarunt, in alienum ſenſum detortam aſſerit, ſiquidem Nicolai ſententia fuerit, corpus aſſiduis exercitationibus domandum eſſe, Nicolaitæ autem id ita interpretati fuerint, quaſi quemlibet carne ſua ad quamvis luxuriam abuti oporteret. Et *lib.* p. 318. *3. Stromatum* idem Clemens factum aliquod Nicolai peſſime ab iis acceptum memorat, qui vagas ſuas libidines Nicolai nomine atque autoritate defendere non erubuerunt. Cum enim Nicolaus de Zelotypia accuſatus, ut eam ſuſpicionem à ſe declinaret, uxorem in medium adduxiſſet, Nicolaitæ id ita ac- Euſeb. lib. 3. H. E. c. 29. Theodor. lib. 3. de hæret. fab. c. 1. lib. 6. c. 8. ceperunt, quaſi promiſcuos concubitus approbaſſet. Hæc ex Clemente repetunt Euſebius & Theodoretus, unde & Gobarus loco ſupra allegato Clementi Euſebium & Theodoretum adjungit. Quamvis autem facile crediderim, Nicolaum talem non fuiſſe, quales Nicolaitæ, unde & Autor Conſtitutionum Apoſtolicarum Nicolaitas Nicolai nomen uſurpantes falſitatis arguit, attamen ne hoc quidem perſuadere mihi poſſum, quod ex hujusmodi Nicolai facto Nicolaitæ occaſionem promiſcuos concubitus ſectandi arripuerint. Improbabile enim mihi vide- (Pag. 91.) tur, Virum illum ſanctiſſimum magna prudentia & bona apud omnes exiſtimatione ornatum in tantam Zelotypiæ ſuſpicionem incurriſſe, aut ſuſpicionis illius a ſe amoliendæ cauſa uxorem ſuam in medium adduxiſſe.

IV. Multo minus iis fidem adhibendam cenſeo, qui Nicolaum haud melioris notæ quam ipſos Nicolaitas fuiſſe judicant, in qua claſſe Gobarus loco ſupra citato Hippolytum ponit

nit & Epiphanium. Quibus addi poſſunt Autor appendicis ad Tertullianum de præſcriptionibus *c.46.* Hilarius *can. 25. in Matthæum*, ubi Nicolaum falſum Prophetam appellat, Hieronymus, qui paſſim Nicolaum tanquam immunditiarum repertorem introducit, qui choros duxerit fœmineos, & obſcœnos audituque erubeſcendos concubitus ſomniaverit, *epiſtol. 1. ad Heliodorum c. 8. epiſtol. 48. ad Sabinianum c. 3. epiſtol. ad Cteſiphontem adverſus Pelagian. c. 2. dialogo adverſus Lucifer. c. 8.* Philaſtrius *de hæreſibus c. 33.* Damaſcenus *hæreſ. 25.* Timotheus Presbyter *in libello de hæreticorum receptione p. 381.* Dorotheus in vitis 72. diſcipulorum, & alii. Et Epiphanius quidem Nicolaiticæ hæreſeos originem hanc fuiſſe tradit, quod Nicolaus aliquamdiu ad imitationem eorum, quos Deo addictos viderit, conjugis ſuæ admodum formoſæ uſu abſtinuerit, poſtea vero ab intemperantia & libidine victus votum continentiæ transgreſſus fuerit, & varias quidem ejus facti excuſationes finxerit, tandem vero eo usque inſaniæ proceſſerit, ut doceret, eum, qui non ſingulis diebus Venerem exerceret, æternæ vitæ participem fieri non poſſe. At hanc Epiphanii relationem ſuperſtitionis plenam eſſe Gomarus *in corollario ad ſecundum Apocalypſeos caput* recte judicavit. Quis enim credet Apoſtolico ævo votum continentiæ usque adeo viguiſſe, ut uxorati etiam, qui juris ſui amplius non eſſent, ejusmodi voto ſe obſtrinxerint? Aut quis credet, Nicolaum ad uxoris conſuetudinem reverſum eccleſiæ reprehenſionem metuiſſe & varias excuſationes fingendi neceſſitatem habuiſſe? Putaverim ergo Nicolao injuriam ab iis fieri, qui ipſum turpiſſimæ hæreſeos Autorem faciunt. Videtur enim Irenæus, cum locum Apocalypticum de Nicolaitis legiſſet, nec alium Nicolaum noſſet, à quo ſic cognominati forent, in eam ſententiam deſcendiſſe, quod à Nicolao in Actis Apoſtolicis memorato ſic dicti fuerint, Irenæum poſtea & alii ſecuti, & ſubinde plura, ut ſolet, addita fuerunt.

(*Pag. 92.*) part. 2. Oper. p. 512.

V. Neque tamen cum Coccejo ſtatuerim, ſub Nicolaitarum nomine tanquam ſub ænigmate S. Johannem in Apocalypſi Papiſtas

ſtas obumbraſſe, eoſque à victoria populorum alluſione ad derivationem nominis facta Nicolaitas vocaſſe, cum Nicolaus ratione originis ſit νικᾷν τὸν λαόν vincens populum, quo etiam alterum Bileami nomen *Apoc. II, 14.* reſpicere putat, cum nomen Bileam ex בעל & עם compoſitum Principem populi notet. Quale myſterium etiam Hoffmannus in Nicolaitarum nomine quærit, qui tamen Romanos potius gentiles tot populis dominantes ſub Nicolaitarum nomine latere arbitratur. Veriſimilius mihi videtur, omnino hujuſmodi hæreticos idolothytis & fornicationi
(Pag. 93) addictos in primitiva acclesia extitiſſe, qui Nicolaitæ audierint, ſive à Nicolao quodam, cujus memoria nunc obſcuro latet, ita cognominati fuerint, ſive etiam à Chaldaica voce ניכלה *comedamus*, quia nequiſſimi illi homunciones & ſibi & aliis ſic acclamaverint, cum libertatis Chriſtianæ prætextu ad comedenda idolothyta diſcubuerunt, quæ Ligtfooti conjectura eſt *in notis ad 1.*
Tom. II. Oper. p. 896. *Cor. VI. 12.* quo loco Nicolaitas à Paulo perſtringi ſuſpicatur. Plura de Nicolaitis apud Commentatores Apocalypſeos videantur, quorum numerum nuperrime auxit Joannes Marckius. De iisdem agunt Urſinus *in analectis vol. II. lib. V. c. 5.* & Calixtus *in tract. de conjugio Clericorum pag. 194. & ſeqv.* ut alios taceamus. Nec deſunt, qui Petrum poſterioris epiſtolæ c. II, 10. ſqq. & Judam in ſua epiſtola v. 8. ſqq. imprimis ad Nicolaitas reſpicere exiſtimant, in quibus Baronius *ad A. C. 68 p. 609. & 610. edit. Roman.*

p. 89.

VI. Recentiorum quorundam Nicolaitarum meminit incertus Autor, cujus annales ex Petri Pithæi bibliotheca ſuperiore ſeculo produerunt. Dicit enim ad A. C. DCCCLXXIV. *diebus quadrageſimæ, cum negotiis ſecularium rerum diſpoſitis orationi vocaret (Ludovicus Ludovici Pii Filius) vidit quadam nocte in ſomniis genitorem ſuum Hludovicum Imperatorem in anguſtiis conſtitutum, qui eum hoc modo Latino affatus eſt ſermone: adjuro te per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, ut tandem aliquando vitam*

*poſ-*

*poſſim habere æternam. Hac ergo viſione perterritus epiſtolas per cuncta regni ſui monaſteria deſtinavit, obnixe poſtulans, ut anima in tormentis poſita ſuis apud Deum precibus intervenirent. Unde datur intelligi, quod quamvis memoratus Imperator multa laudabilia & Deo placita feciſſet, plurima tamen legi Dei contraria in regno ſuo fieri permiſit. Si enim, ut cætera omittam, hæreſi Nicolaitarum firmiter & viriliter reſtitiſſet, & monita Gabrielis Archangeli, quæ Einhardus Abbas 12. capitulis comprehenſa ei obtulit, legenda & facienda, obſervare curaſſet, forſitan talia non pateretur.* Qualis illa Nicolaitarum hæreſis fuerit, non exprimit annalium Autor. Alias notum eſt, quod ſequiore ævo Nicolaitæ dicti fuerint Clerici, qui à conjugii uſu non abſtinuerunt, ut ex canone 19. Concilii Turonenſis II. conſtat. Et in hac ſignificatione etiam Petrus Damiani Nicolaitarum nomen in epiſtola ad Hildebrandum poſtea Romanum Pontificem uſurpat, cujus verba apud Calixtum in tractatu de conjugio Clericorum legi poterunt. Verum Rupertus Tuitienſis in ſuo ad Apocalypſin commentario eos potius Nicolaitarum nomine dignos æſtimat, qui conjugio abſtinent & vagis libidinibus ſe polluunt.

(Pag. 94)

Concil. Gallic. Tom. I. A. C. 567 p. 336. p. 567.

VII. Mirum eſt, quod de Nicolao tradit gloſſa marginalis corporis canonici. Cum enim cauſ. 2. qv. 7. c. *non omnes Epiſcopi*, hæc verba ex Hieronymo allegantur: *attendis Petrum, ſed & Iudam conſidera, Stephanum ſuſpicis, ſed Nicolaum reſpice*, in extremo margine notatur, quod iſte Nicolaus fuerit Mahometus, quem colunt pagani, pro qua ſententia Hugo allegatur. Ejus gloſſæ meminerunt etiam Dominicus & Carolus Macri Fratres in Hierolexico, ubi ſimul Benvenuti Imolenſis ridiculam ſententiam perſtringunt, qui in commento ad Dantis Aligerii cantum 28. de inferno Mahometem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem fuiſſe aſſerit. Tolerabiliora ſunt, quæ de Nicolaitis habet Ambroſius Ansbertus in commentario ad Apocalypſin. Cum enim

Vol. I. corp. gloſſ p. 691. edit. Lugd. 1555. p 400 ſub voce Nicolaitæ.

(Pag. 95.)

tom. 13. bibl. Patr. edit. Lugd. p. 433. enim de Nicolaitarum ſecta quædam ex Auguſtini de hæreſibus libello protuliſſet, ſubjicit in genere omnes hæreticos Nicolaitarum nomine comprehendi. Nicolai enim nomen ſtultum populum denotare, & talem populum hæreticos eſſe dicit. Et hæc quidem de Hæreſiarchis ætatis apoſtolicæ dicta ſufficiant.

# F I N I S

Sectionis primæ.

## Monitum ad Lectorem.

*In theſi 2. poſtremi hujus capitis Ignatii epiſtola ad Tarſenſes allegatur, pro qua epiſtola ad Trallianos legi debet. Alia errata, ſi qua oculis occurrent, ſub finem totius tractatus judicabo.*

SECTIO

(*Pag.96.*)

# SECTIO II.

*de*

# HÆRESIARCHIS

aevi Apoſtolico proximi.

## CAPUT I.

*de*

## Saturnino.

I.

POſt Apoſtolorum obitum longe major Hæreticorum colluvies eccleſiam inundavit, in quorum numero Saturninus & Baſilides, quos Euſebius è Menandro tanquam beſtiam bicipitem & bilinguem duarum inter ſe diſcrepantium hæreſium exortos tradit. Hiſt. Eccl. lib. 4. c. 7. Et Baſilidem quidem prius erupiſſe Baronius inde probat, quod Ignatius in epiſtolis ſuis Baſilidis mentionem faciat, nullam Saturnini, cum tamen Baſilides in Ægypto, & Saturninus Antiochenus in Syria docuerit, ideoque Ignatius Antiochenæ eccleſiæ Epiſcopus domeſticum furem dubio procul indicaturus fuiſſet, ſi ipſo adhuc ſuperſtite prorupiſſet. Quod argumentum ſatis bonum eſſet, ſi mentio Baſilidis in epiſtola Ignatii ad Trallianos ab ipſo Ignatio nec potius ab ejusdem interpolatore deſcendiſſet, & præterea

vero Ignatio propoſitum non fuiſſet Hæreſiarcharum nomina ſilentio involvere, qua de re jam ſupra ſect. 1. cap. 9. theſ. 2. non-
(Pag. 97.) nonnihil dictum eſt. Quocirca vulgari ordine ſervato de Saturnino prius dicemus.

II. SATURNINUS igitur, quem Epiphanius & Theodoretus SATURNILUM appellant, patria Antiochenus in Syria maxime errores ſuos diſſeminans Patrem aliquem ignotum Angelorum conditorem ſtatuit, eumque à Judæorum Deo diſtinxit, Chriſtum non verum hominem fuiſſe, ſed formam tantum humanam habuiſſe, eumque ad deſtruendum Judæorum DEUM veniſſe ſomniavit, ſeptem Angelos mundum & hominem vermis inſtar humi prius repentem nec ſe erigere valentem, ſed poſtea à ſcintilla vitæ cœlitus immiſſa erectum condidiſſe finxit, duo hominum genera, unum natura bonum alterum natura malum agnovit, reſurrectionem carnis negavit, ſcintillam tamen divinitus homini immiſſam ad Superos regredi docuit, Prophetias partim ab Angelis mundi opificibus, partim â Satana profectas aſſeruit, à quo & nuptias & liberorum procreationem ortum ſuum trahere dixit, ab eſu quoque animatorum abſtinere jubens. Hos Saturnini errores referunt Irenæus *lib. 1. c. 22.* Tertullianus *de anima c.* 23. Autor appendicis ad librum de præſcriptionibus *c. 46.* Philaſtrius *de hæreſibus c. 31.* Epiphanius *hæreſ. 23.* Theodoretus *lib. 1. 3. hæret. fab.* Auguſtinus *de hæreſ. c. 3.* & Autor prædeſtinati *hæreſ. 5.* qui eos ab Apoſtolo Thoma anathematizatos fingit. Meminit quoque Saturnini, ut alios jam taceam, Gregorius Abul Pharajus in hiſtoria dynaſtiarum, etſi non Saturninum vocet, ſed *Soterinum*, cui præter alia tribuit, quod docuerit, membra genitalia in viris & fœminis à diabolo facta, ideoque turpe ab hominibus haberi ea retegere.

(Pag 98.) III. Cum vero nuptiis & animatorum eſui infenſus fuerit Saturninus, hinc à Paulo 1. Tim. IV, 1. & ſequentibus Saturnilianos notari Baronius ſuſpicatur. Nec alia eſt Eſpencæi & Eſtii in commentariis ad h. l. ſententia, aliorumque Pontificiorum, qui Satur-

Saturninianis Marcionitas, Manichæos, Encratitas alioſque primitivæ eccleſiæ hæreticos adjungunt, admodum ſoliciti, ne Romanæ quoque, qualis hodie eſt, eccleſiæ doctrinam oraculum illud Paulinum tangere videatur. Verum eos hac ratione Pauli cenſuram effugere non poſſe Hunnius, Balduinus, Gerhardus, Calovius & Johannes Crocius in ſuis ad h. l. commentariis notarunt, quibus addi poterit Chamier in Panſtratia catholica *Tom. III. lib. 16. c. 7. & lib. 19. c. 5. th. 30. & ſeqv.* & plures alii.

# CAPUT II.

## *de*

## Baſilide ejusque Filio Iſidoro.

**I.**

SAturnino in Syria errores ſuos diſſeminante BASILIDES Ægyptum peſtifera ſua hæreſi infecit. Hunc Baſilidem inter eos numerat Firmilianus in epiſtola ad Cyprianum, qui poſt A- **Cypr. ep. 75.**
poſtolorum ætatem adverſus eccleſiam DEI ſceleratis ſuis men- **p. 210. ed. Ox.**
daciis rebellarunt. Nec diſſentit Clemens Alexandrinus, qui **lib. 7. Strom.**
paulo diſtinctius Baſilidis ætatem exprimens ſub Hadriano eum **Pag. 549.**
res eccleſiæ turbaſſe tradit. Oportet tamen ſub Hadriano jam
ſatis adultam Baſilidis hæreſin fuiſſe, ſiquidem Baſilides, Hiero- *(Pag. 99.)*
nymo teſte, ſub Hadriano mortuus eſt, unde prima iſtius hære- **Catal Scri-**
ſeos initia ad ipſam Apoſtolicam ætatem referre non dubitat Ba- **ptor. c. 21.**
ronius, qui etiam Divum Apoſtolum Johannen in epiſtolis ſuis **ad A.C. 120.**
ad Baſilidem reſpicere alibi notavit. Prolixius hoc argumen- **ad A.C. 99.**
tum tractavit Pearſonius ſtatuens poſt Simonis mortem, quæ ſub
Nerone contigit, ſub Veſpaſiano floruiſſe Menandrum, ejuſque **part. 2. vindic.**
diſcipulos Saturninum & Baſilidem ſub Domitiano hæreſin ſuam **ep. Ig. c. 7.**
concepiſſe, ſub Trajano prodidiſſe, ſub Hadriano denique pecu-

 liares

Digitized by Google

liares ſectas condidiſſe. Pro firmanda hac ſententia præter locum Hieronymi ſupra jam adductum plura alia argumenta cumulat. Adducit enim Joellem Chronographum & Gregorium Abul Pharajum, qui ſub Trajani rebus Baſilidem collocant, & Epiphanium, qui in hæreſ. 31. Ebionem & Cerinthum exiguo ſpatio Baſilidem antegreſſos refert, & Hieronymum, qui in dialogo adverſus Luciferianos Baſilidem iis hæreſiarchis accenſet, qui Apoſtolis adhuc in ſeculo ſuperſtitibus & Chriſti ſanguine adhuc apud Judæam recenti, Chriſti corpus phantaſma eſſe dixerunt, notat præterea ex Clementis Alexandrini libro 7. Stromatum, Baſilidianos jactaſſe, quod Baſilides Glauciam, qui S. Petri interpres fuiſſe dicitur, Magiſtrum habuerit, ut alia ejus argumenta taceamus. Contra vero Baronio Dallæus & Pearſonio Larroquanus varia opponunt, ut primum ſub Hadriano Baſilidis hæreſin natam eſſe demonſtrent, è quibus Larroquanus circa Hieronymi locum obſervat, quod Cotelerius in notis ad Conſtitutiones Apoſtolicas pag. 265. notaverit, in quinque codicibus MSC. verba Hieronymi non ſic legi: *mortuus eſt Baſilides, à quo Gnoſtici, in Alexandria temporibus Hadriani* ſed: *moratus eſt Baſilides &c.* quam lectionem Cotelerius eo nomine tuetur, quod chronico Euſebiano optime congruat, in quo ad A. C. 134. Hadriani 17. ita legitur: *Baſilides Hæreſiarcha in Alexandria commoratur, unde Gnoſtici*, nec aliter Hieronymus cum Clemente Alexandrino conciliari poſſit, qui Baſilidem uſque ad Antonini tempora perveniſſe innuit. Quicquid vero de primis initiis hæreſeos Baſilidianæ ſtatuatur, illud certum eſt, ſub Hadriano Baſilidem vixiſſe, & impiæ ſuæ doctrinæ ſcholas habuiſſe, quod præter Clementem Alexandrinum & Euſebium Theodoretus, Iſidorus Hiſpalenſis aliique plurimi Scriptores antiqui teſtantur.

Dall. de ſcript. Dionyſ. & Ignat. lib. 2. c. 10. Larroqu. obſerv. in vind. Ign. p. 253. ſeq.

(Pag. 100.)

II. Docuit autem Baſilides ab ingenito Patre prognatam Mentem ſeu Νοῦν, à Mente λόγον ſeu Verbum, à Verbo φρόνησιν ſeu Prudentiam, ab hac Σοφίαν καὶ Δύναμιν, ab his Virtutes principes & Angelos primos, à primis Angelis cœlum ſupremum & alios Ange-

Angelos, ab his ſecundum cœlum iterumque alios Angelos, & ſic deinceps, dones per continuas Angelorum propagines 365. cœli, quorum numerum nomen ἀβράξας ſeu ἀβρασὰξ in ſe continet, formati fuerint, ut Irenæus *lib. 1. adv. hæreſ. c. 23.* teſtatur. Sub Abraxæ autem nomine Baſilides juxta Autorem appendicis ad Tertullianum de præſcriptionibus *c. 46.* ſummum illum DEUM coluit, à quo tanquam ſupremo principio cætera omnia deduxit. Quod confirmat Hieronymus in commentario ad *c. 3.* Amos, ubi ait, quod Baſilides omnipotentem DEUM Abraxas appellaverit, qui ſecundum græcas literas & annui curſus numerum in Solis circulo contineatur, quem Ethnici ſub eodem numero aliarum (*Pag. 101.*) literarum Mithram appellarint. Ejusdem ortentoſi nominis meminit quoque Hieronymus in catalogo Scriptorum c. 21. & in commentariis ad Abdiam & ad cap. 1. Nahum, nec non in epiſtola 29. ubi dicit Abraxas aliaque hujuſmodi portenta potius quam nomina ad imperitorum & muliercularum animos concitandos excogitata barbaro ſimplices quoſque terrere ſono, ut plus mirentur, quod non intelligunt.

III. Diximus in nomine Abraſax vel Abraxas numerum anni diebus æqualem contineri. Litera enim Α apud Græcos 1, Β 2, Ρ. 100, Σ 200. & Ξ 60. denotat, unde ſi numeri literarum in voce Abraxas computentur

| | |
|---|---|
| Α | 1. |
| Β | 2. |
| Ρ | 100. |
| Α | 1. |
| Ξ | 60. |
| Α | 1. |
| Σ | 200. |

ſumma omnium literarum erit 365. Notavimus etiam ex Hieronymo, Abraxam Baſilidis eundem eſſe cum Mithra gentilium, & ſub Mithræ nomine eundem numerum latere. Verum ut hic nu-

thes. 3. p. 12. numerus ex Mithræ nomine eliciatur, Johannes Macarius in diſquiſitione poſthuma de gemmis Baſilidianis, quæ inſcribitur *Abraxas ſeu Apiſtopiſtus*, neceſſarium putat, ut ſervato Alphabethi ordine & litera ϛ. ſenarium vulgo notante tranſpoſita Η pro ſeptimo & Θ pro octavo numero accipiamus, hoc modo: (Pag. 102.)

| | |
|---|---|
| Μ | 40. |
| Ι | 10. |
| Θ | 8. |
| Ρ | 100. |
| Η | 7. |
| Σ | 200. |
| | 365. |

At non opus erit, ut vulgarem numerandi apud Græcos ordinem turbemus, ſi Mithræ nomen paulo aliter exprimamus, nempe ſic: ΜΕΙΘΡΑΣ

| | |
|---|---|
| Μ | 40. |
| Ε | 5. |
| Ι | 10. |
| Θ | 9. |
| Ρ | 100. |
| Α | 1. |
| Σ | 200. |
| | 365. |

Oedip. Tom. II. part. 2. claſſ. 2. c. 6. quam computandi rationem ſequitur Athanaſius Kircherus & calculo ſuo approbat Johannes Chiffletius, qui & prædictam Macarii diſquiſitionem publici juris fecit, & alia ipſe adjunxit, quæ inſcribitur *Abraxas Proteus ſeu gemmæ Baſilidianæ multiformis portentoſa varietas*, in qua centum & viginti gemmas Baſili-

ſilidianas exhibet & commentario illuſtrat, in quarum diſſertationum frontiſpicio etiam Baronii, Scaligeri, Salmaſii, Gaſſendi aliorumque de Deo Baſilidis judicia videas. (Pag. 103.)

IV. Et Godofredus quidem Vendelinus in epiſtola ad Chiffletium è Baſilidianorum ſtercore aurum eruere conatus in literis nominis Abraxas, ſeu ut Salmaſius in tractatu de annis climactericis & alii ſcribere malunt Abraſax myſterium Trinitatis & crucifixi Salvatoris meritum comprehendi ſuſpicatur, quam Vendelini epiſtolam Chiffletius in tractatu de Abraxa Proteo p. 112. edidit. Ex ea, ut Vendelini mens eo magis pateat, hanc tabellam excerpere juvat;

| | | | |
|---|---|---|---|
| Α | Αϐ | אב | Pater |
| Β | Βεν | בן | Filius |
| Ρ | Ῥουχ | רות | Spiritus |
| Α | Ἀκαδως | הקדש | Sanctus |
| Σ | Σωτηρία | | Salvatio |
| Α | Ἀπὸ | | â beneficio |
| Ξ | Ξύλου | | ligni. |

Simili ratione Vendelinus notiſſimum illud amuletum explicat, quod a Baſilidis Abraxa ortum ſuum trahere poſt Baronium Seldenus in ſyntagmate de Diis Syris c. 2. minime dubitat. Conficitur autem illud amuletum, quod antiquus Medicus Q. Serenus Sammonicus collo appendi jubet, ex voce Abraſadabra ſæpius repetita & ultimis elementis ſucceſſive diminuta, ita ut in coni aut inverſæ pyramidis figuram abeat, & in ultima linea ſola initialis litera relinquatur, hoc modo:

 Abra-

Digitized by Google

(Pag.104.)

Abraſadabra
Abraſadabr
Abraſadab
Abraſada
Abraſad
Abraſa
Abraſ
Abra
Abr
Ab
A

Hoc inquam amuletum Vendelinus ita explicat, ut ſyllabis initialibus & finalibus Abra invocationem Trinitatis contineri dicat, medias autem literas *ſad* ſignificare σωτηρίαν ἀπὸ δόξης i. e. ſalutem a Gloria Trinitatis. Verum hoc acute quidem excogitatum ſed merum ingenii luſum eſſe recte judicat Chiffletius in commentario ad gemmas Abraxeas. Sane neque myſterium Trinitatis neque veram Chriſti crucifixionem Baſilides agnovit ut inferius patebit. (cap. 1. p. 65.)

V. Quam portentoſum eſt nomen Abraſax, tam monſtroſæ etiam ſunt imagines, quibus in gemmis ſuis Baſilidiani Abraxam ſuum exprimere ſolebant, neque dubium eſt, quin Baſilidiani hujusmodi gemmas monſtroſis figuris & nominibus ſignatas ad amuleta aliasque artes magicas uſurpaverint. Unde & Irenæus cum Baſilidianorum imaginibus incantationes aliaque parerga, ſeu ut rectius legitur, periergа conjungit. Neque mirum eſt, magnam in illis gemmis obſcuritatem deprehendi. (Pag.105.) Hoc enim ad arcana illa pertinebat, quæ ipſi non ab omnibus ſed vix ab uno inter mille capi poſſe dicebant.

Phil. III, 18. VI. Sunt qui exiſtiment per hoſtes crucis Chriſti, quos Paulus in epiſtola ad Philppenſes deplorat, Baſilidianos intelligi. Verum Baſilides, cum Paulus iſta ſcriberet, nondum ortus erat.

Fuit

Fuit tamen omnino Baſilides quoque hoſtis crucis Chriſti, ſiquidem docuit Chriſtum in phantaſmate veniſſe, & ſine vera carnis ſubſtantia fuiſſe, nec ipſum a Judæis vere paſſum, ſed ejus loco Simonem Cyrenæum crucifixum, putantibus Judæis, hunc Simonem eſſe Jeſum, qui interim aſſumta Simonis figura aſtiterit, & Judæos irriſerit, & poſtea ad eum, a quo miſſus fuerat, aſcenderit. Unde etiam Baſilides quenquam in crucefixum credere noluit, & martyres non pro Chriſto ſed pro Simone Cyrenæo occumbere ſtatuit, eoque nomine martyrium damnavit, ut referunt Irenæus *lib. 1. c. 22.* Autor appendicis ad Tertullianum de præſcriptionibus *cap. 46.* Theodoretus *lib. 1. de hæretic. fab. c. 4.* Epiphanius *hæreſ. 24. c. 3.* Simile de Chriſti crucifixione commentum, quod obiter notamus, a Mahomedanis fingi obſervat Alexander Morus in diatriba ad Eſaiæ c. 53. ubi commentatores Corani narrare ſcribit, Jeſum dixiſſe ſociis ſuis: cui veſtrum placet indui mea imagine, occidi & crucifigi, & ſic ingredi Paradiſum? tum quendam reſpondiſſe: mihi placet, & hunc crucifixum fuiſſe, Jeſu in cœlum interim ſublato. p. 33. & 34.

VII. Porro Baſilides, ut cæteros ejus errores referamus, ultimi cœli Angelos inferiora hæc creaſſe, & terrarum orbem inter ſe diſtribuiſſe, & Principem Angelorum iſtorum Judæorum eſſe Deum dicebat, huic, dum cæteras gentes Judæis ſubjicere satageret, reliquos obſtitiſſe, & ſuas quemque gentes adverſus Judæos impuliſſe, Patrem vero ingenitum primogenitam ſuam Mentem, quæ Chriſtus appellatur, miſiſſe perhibebat, ut credentes ab Angelorum poteſtate liberaret. (Pag. 106.) Legem Judæorum Deo, prophetias reliquis Angelis tribuebat, & ipſe ſibi alios Prophetas excogitabat, ſoli animæ ſalutem promiſſam eſſe negata carnis reſurrectione ſomniabat, idolothytis veſci & perſecutionis tempore fidem negare minime verebatur, & ſectatoribus ſuis promiſcuum univerſæ libidinis uſum indulgebat, ut Irenæus, & Pſeudo-Tertullianus, qui tamen in nonnullis ab Irenæo diſſentit, Theodoretus, Epiphanius & alii teſtantur. Diſcipulis ſuis Pythagoræorum more quinquenne ſilentium indicebat, ut apud Euſebium legitur. lib. 4. hiſt. eccl. c. 7. Dicere, Irenæo teſte, ſolebat: tu omnes cognoſce,

hæreſ. 25. c. 5. te autem nemo cognoſcat. Alios enim homines porcos & canes eſſe dicebat, myſteriorum ſuorum margaritis indignos, ut ab Epiphanio traditum deprehendimus. De affectibus quid Baſilidis ſectatores docuerint, exponit Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. p. 299. Eodem Clemente teſte Baſilides animas in alia vita peccaſſe, in hac ſupplicium pati docuit, & involuntaria tantum peccata & quæ per ignorantiam fiunt dimitti, & fidem homini naturalem eſſe, ut legitur lib. 4. Strom. p. 369. & 390. & lib. 5. p. 398. Conferantur præterea de Baſilide idem Clemens libro 1. Stromat. p. 249. ubi refert, Baſilidis ſectatores diem qua Chriſtus baptizatus eſt ita celebrare, ut totam præcedentem noctem in lectionibus tranſigant. & libr. 2. p. 274. ubi enarrat, quomodo Baſilidiani dictum illud: *initium ſapientiæ timor Domini*, explicaverint, item in excerptis Theodotianis, p. 567. & 569. ubi exponit, quid de columba in Chriſtum deſcendente garriverint, & quomodo vindictam Dei in tertiam & quartam generationem (Pag. 107.) interpretati fuerint. Clementi addi poſſunt Origenes tract. 28. in Matthæum, ubi inter alia μετεμψυχώσεως dogma Baſilidi tribuit, & lib. 5. comm. in epiſtol. ad Romanos p. 621. ubi de eodem Baſilidis dogmate agitur, item in comm. ad c. XI. epiſtolæ ad Romanos p. 699. ubi alium de anima errorem Baſilidi aſcribit, ut alia Origenis de Baſilide loca taceamus; item Auguſtinus lib. 2. contra adverſarium legis & Prophetarum c. 12. Autor Prædeſtinati hæreſ. 3. ubi ait, eccleſiam hos hæreticos ut energumenos computaſſe & damnaſſe non altercando ſed projiciendo, Damaſcenus de hæreſibus c. 24. & alii.

VIII. Scripſit Baſilides libros 24. commentariorum in Evangelium, quod ex Euſebio aliiſque conſtat. Num vero in Evangelicam Novi Teſtamenti hiſtoriam commentarium illum ſcripſerit, an in ſuum ipſius Evangelium, cujus Origenes homilia 1. in Lucam & Ambroſius in proœmio ad Lucam meminerunt, non ſatis liquere notat Guilielmus Cave in hiſtoria literaria Scriptorum eccleſiaſticorum ſeculi Gnoſtici p. 30. ibidem notat fragmenta Baſilidiana illius operis apud Epiphanium hæreſ. 24. & Cle-

Clementem Alexandrinum lib. 4. ſtromat. extare, & Origenem in Olympiodori ad Jobum catena odarum quoque Baſilidis meminiſſe. Commentarios illos Baſilidis refutavit Agrippa Caſtor, ab Euſebio *lib. 4. c. 7. hiſt. eccl.* & Hieronymo *in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum c. 21.* commendatus. Baſilidianos, Nicolaitas, alioſque hæreticos ad Epiphanii poſtulatum ex Cypriorum inſula per Theodoſii Imperatoris edictum ejectos memorat Polybius *in vita Epiphanii c. 59.* Paralleliſmum inter Baſilidem & Pontificios oſtendit Vedelius *exercit. 1. ad epiſtol. Ignatii cap. 14.* & (Pag. 108.) Bebelius *in antiquit. eccl. ſec. 1. p. 100.* Myſteria numerorum in voce Abraxas Baſilidianos forte ab Ægyptiis & Græcis didiciſſe notant Macri in Hierolex. p. 3. cum illi quoque in nomine Nili numerum anni dierum contineri affirmaverint hoc modo

| | |
|---|---|
| Ν | 50. |
| Ε | 5. |
| Ι | 10. |
| Λ | 30. |
| Ο | 70. |
| Σ | 200. |
| | 365. |

IX. Peſſimi Patris haud melior filius ISIDORUS Patris ſui nugas additamentis quibusdam confirmavit, ut Theodoretus memorat. Ex ejus libro de anima adnata adducit nonnulla lib. 1. hæret. Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. p. 229. & ex ejusdem ethicis fab. cap. 4. lib. 3. p. 310. & ex ejusdem expoſitionibus Prophetæ Parchor lib. 6. p. 462. Meminit hujus Iſidori etiam Epiphanius hæreſ. 32. quæ eſt Secundianorum, ſect. 4.

# CAPUT III.

*de*

# Carpocrate, Marcellina, & Epiphane.

I.

SAturnino & Baſilidi Euſebius lib. 4. cap. 7. hiſt. eccl. jungit CARPOCRATEM, per cujus ſectam Diabolum hoc primum effeciſſe ſcribit, ut qui ex fidelibus ab his decepti eſſent
(*Pag. 109.*) ad miſerabile exitium abducerentur, deinde vero gentibus quoque a fide Chriſtiana alienis amplam obtrectandi Evangelii materiam ſubminiſtraſſe, dum impia opinio paſſim ſpargeretur, quaſi Chriſtiani ne fando inceſtu pollui & execrandis dapibus veſci ſolerent, quæ infamia a Carpocratianis primum orta ad totius Chriſtiani nominis opprobrium diffuſa fuerit. Addit tamen Euſebius has Dæmonis artes non in diuturnum tempus ei proceſſiſſe, cum aliis ſuper alias ſectis orientibus priores diffluerent, ecclеſia autem catholica ſemper ſui ſimilis gravitate ſua & vitæ ſanctitate calumnias iſtas refutaret.

II. Quæ de calumniis Chriſtianæ religionis à Carpocratiana ſecta natis diximus, confirmari quodammodo poſſunt ex epiſtola Hadriani Imperatoris ad Servianum, quam ex Phlegonte tranſcriptam in Saturnini vita exhibet Vopiſcus. Nam quæ de Chriſtianorum Alexandriæ commorantium levitate & vanitate diſſerit Imperator, de Carpocratianis & Baſilidianis in-
ad A.C. 132. telligenda eſſe Baronius obſervat. Sic autem Hadrianus in illa epiſtola ad Servianum ſcribit: *Ægyptum quam mihi laudabas,*

*Ser-*

*Serviane chariſſime, totam didici levem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi qui Serapim colunt Chriſtiani ſunt, & devoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti Epiſcopos dicunt. Nemo illic Archiſynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Chriſtianorum Presbyter non mathematicus, non aruſpex, &c.*

III. Sane quæ de matheſi & aruſpicina Imperator dicit, in Baſilidianos & Carpocratianos haud male quadrant. Baſilidianos enim variis ſuperſtitionibus & περιεργίαις addictos fuiſſe (*Pag. 110.*) jam ſupra cap. 2. th. 5. obſervatum eſt. Nec in hoc artium genere inferiores Baſilidianis fuere Carpocratiani. Hi enim ut Euſebius l. c. refert, magicas Simonis præſtigias non clam ut ille, ſed palam ac publice tradendas cenſuerunt, & philtris arte magica curioſe elaboratis, paredris quoque & oneiropompis ſeu ſomniorum immiſſoribus ſpiritibus aliisque hujusmodi maleficis rebus gloriati ſunt. Addit Euſebius, Carpocratianos docuiſſe, quicunque ad perfectionem myſteriorum, quæ apud ipſos agebantur, pervenire vellent, eos turpiſſima quæque perpetrare oportere, cum mundi Principes alia ratione effugere non poſſint, quam ſi ſuum cuique debitum per obſcœniſſimas libidines perſolvant. Depromſit hæc Euſebius ex Irenæo, qui lib. 1. c. 24. addit Carpocratianos pro firmanda ſua ſententia abuti ſolitos verbis Chriſti: *cum fueris cum adverſario tuo in via, da operam ut libereris ab eo, ne forte te det judici, & judex te miniſtro, & miniſter te mittat in carcerem. Amen dico tibi, non exibis inde, donec ſolvas noviſſimum quadrantem.* Matth. V, 25.

IV. Docuit præterea Carpocrates, qui etiam *Carpocras* à nonnullis appellatur, mundum ab angelis conditum, Chriſtum ê Joſephi ſemine prognatum juſtitia ſolum aliis hominibus prævalere, bona & mala hominum opinione diſcerni, reſurrectionem ſperandam non eſſe, animas vero, donec omnia vitiorum genera compleverint, in alia corpora migrare. Imagines quoque

Chriſti nec minus Pythagoræ, Platonis & aliorum Philoſophorum gentilium venerati ſunt, & non bonorum modo ſed uxorum quoque communionem approbarunt & in omne libidinis
(Pag.111.) genus præcipites ruerunt. Videantur de Carpocrate ejuſque ſectatoribus & eorundem doctrina & vita præter Euſebium & Irenæum Tertullianus *de anima c. 23.* ubi Carpocratis diſcipulos animas ſuas non modo Apoſtolis ſed & ipſi Chriſto æquaſſe imo prætuliſſe memorat, Autor appendicis ad Tertullianum de præſcript. *c.* 48. Clemens Alexandrinus *lib. 3. Stromat. p. 312. & ſeqv.* Philaſtrius *de hæreſibus c. 35.* ubi inter alia Carpocratem ſtatuiſſe ait, quod anima Chriſti carne in terris dimiſſa in cœlum ſuſcepta fuerit, Epiphanius *hæreſ. 27.* Auguſtinus *de hæreſibus c. 7.* Autor Prædeſtinati *hæreſ.* 7. ubi Carpocratianos apud Cyprum a Beato Barnaba damnatos aſſerit, Theodoretus *lib. 1. de hæret. fabul. c. 5.* Timotheus Presbyter *de differentiis hæreticorum p. 388. &c.*

V. Et hos Carpocratianos fortaſſe quoque Celſus in animo habuit, cum Chriſtianis Harpocratianos objecit apud Origenem
p. 272. lib. 5. adv. Celſum, ad quem locum Spencerus in notis videatur.
p. 77. Unicum adhuc de Carpocratianis notare placet, nempe quod diſcipulorum auriculas cauterio quodam ſignare conſueverint, ut Irenæus, & Epiphanius teſtantur, item Nicetas *in theſauro orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 3.* cujus verba ex Petri Morelli interpretatione hic appono: *inſuper & ſigillum cauterio vel novacula vel ſubula cartilagini auris eorum imprimebant, quos deceperant, ut hoc indicio eſſet, ſuam ab illis hæreſin comprobari.* Et hinc forte nata illa gentilium opinio de Chriſtianis, quaſi occultis notis & inſignibus ſeſe noſcerent, quam opinionem Minutius Felix in
p. 22. (Pag. 112.) Octavio ſuo ſic refutat: *nos non notaculo corporis, ut putatis, ſed innocentia ac modeſtia ſigno facile dignoſcimus.*

VI. Carpocratis ſectæ addicta fuit MARCELLINA, unde Marcelliniani, quorum Origenes loco paulo antea allegato meminit. Eam ſub Aniceti Pontificatu Romam veniſſe refert Irenæus *lib. 1. c. 24.* Ejusdem Epiphanius *hæreſ. 27.* & reliqui, qui

Car-

Carpocratis hæreſin recenſent, meminerunt, è quibus Auguſtinus eam imagines coluiſſe adorando eas & incenſum iis ponendo tradit, unde Pontificiorum cum Carpocratianis & Marcellinianis conſenſum notant Hunnius *in apoſtaſia eccleſiæ Romanæ c. 6. p. 1316.* Gerhardus *in loco de eccleſia* §. 230. & alii.

VII. Carpocratis filius & paternæ impietatis hæres & amplificator EPIPHANES poſt mortem, Sanæ, quæ Cephalenæ urbs eſt, divinis honoribus affectus eſt, ut Clemens Alexandrinus memoriæ prodidit, ubi etiam ſcriptorum ejus meminit, & ex libro de juſtitia nonnulla excerpit. Videatur quoque de Epiphane Epiphanius *hæreſ. 32. ſect. 3.* Theodoretus *lib. 1. hæret. fabul. c. 5.* Chemnitius *part. 2. loc. p. 394.* lib. 3. Strom. p. 312.

# CAPUT IV.

*de*

## Prodico & Adamianis, nec non Cainianis ſeu Cajanis, & Quintillianis.

I.

Epiphanem excepit PRODICUS, cujus aſſeclas libertate ſua abuſos pro lubitu vivere tradit Clemens Alexandrinus. lib. 3. Strom. Eoſdem de arcanis Zoroaſtris libris eorumque poſſeſſione gloriatos idem Clemens alibi memorat. p. 319. Et ab hoc Prodico juxta Theodoretum *lib. 1. c. 6.* exorti ſunt ADAMIANI, unde mirum videri poſſit, quod, cum Clemens Alexandrinus Prodici aſ- (*Pag. 113.*) lib. 3. Strom. p. 223.

ſec'as precum uſum aſpernatos ſcribat, Adamiani tamen a precum uſu non alieni fuerint, ut Auguſtinus & alii teſtantur.

II. Dicti ſunt Adamiani, quod in conventibus ſuis Adami nondum lapſi nuditatem imitati fuerint, & in culpam aliquam lapſos eccleſia ſua ejecerint, ſicut Adamus paradiſo ejectus eſt, nuptias quoque improbarint prætendentes, quod Adamus non ante, quam è Paradiſo ejectus fuiſſet, cum Eva congreſſus fuerit, cum interim promiſcuas libidines abſque ullo Adami innocentis exemplo ſibi permitterent, Adamo etiam multis aliis in rebus admodum diſſimiles. De iſtis hæreticis videatur Epiphanius, qui cum talpis eos comparat, *hæreſ. 51.* Auguſtinus & Autor Prædeſtinati *hæreſ. 31.* è quibus Autor Prædeſtinati Adamianos à S. Presbytero Polycarpo detectos & eliminatos narrat. De iisdem agunt Supplementum hæreſium, quod Helmſtadienſi Philaſtrii editioni ſubjunctum eſt, *c. 49.* Iſidorus Hiſpalenſis *lib. 8. Orig. c. 5.* Damaſcenus *de hæreſ. c. 51.* Pſeudo-Hieronymus *in indiculo hæreſium c. 14.* ubi eos duas ſubſtantias aſſeruiſſe ſcribit, ea nimirum ratione, qua & alii veteres hæreſiarchæ duo ſumma principia ſtatuerunt.

(*Pag. 114*) III. Antequam à priſcis illis Adamianis abeamus, recentiores quosdam ſubjungere placet. Reſuſcitavit enim turpiſſimam hanc ſectam ſeculo 15. in Bohemia Picardus quidam, qui cum ex Gallia Belgica in Bohemiam veniſſet, præſtigiis quibusdam fidem ſibi conciliavit & cum aſſeclis ſuis inſulam quandam occupavit. Dixit autem ſe Filium Dei eſſe & Adam vocari. Cætera apud Æneam Sylvium *in hiſtor. Bohem. c. 41.* & Dubravium *in hiſtor. Bohem. lib. 26. p. 250.* videantur. Aliud Adamianorum genus inter Anabaptiſtas ſeculo 16. exortum eſt, de quibus Oſiander *part. 1. centur. 16. p. 120.* conſulatur, cui addi poteſt Natalis Alexander *part. 1. ſecul. 15. & 16. p. 406.* ubi de Adamianis ab Adamo quodam paſtore exortis ex Lindano agit.

IV. Ab Adamianis progredimur ad CAINIANOS ſeu CAIANOS, qui etiam CAINI & CAIANISTÆ paſſim audiunt

diunt, non quidem eam ob cauſam, quod Cainum odio proſecuti fuerint, ut Honorius Auguſtodunenſis perperam opinatur, de hæreſ. c. 30. ſed potius, quia Cainum magnis honoribus dignum cenſuerunt, quam nominis rationem tradit Clemens Alexandrinus. Nec lib. 7. ſtrom. 549. Cainum modo, ſed & Core & Sodomitas & peſſimos quoſque lib. 1. adv. hæreſ. c. 35. cognatos ſuos eſſe dixerunt, ut Irenæus teſtatur.

V. Imprimis vero & Judam proditorem magni fecerunt, eique pro Chriſti traditione gratias agendas cenſuerunt, cujus traditionis cauſas non uno modo explicarunt. Alii enim dixerunt, Judam, cum vidiſſet Dæmonem paſſionem Chriſti impedire velle, ad procurandam hominum ſalutem Chriſtum tradidiſſe, alii autem eam ob cauſam traditionem Chriſti â Juda factam commendarunt, quod veritatem à Chriſto ſubverti viderit, ut refert (Pag. 115.) Autor Appendicis ad Tertullianum de præſcript. qua in re Cajanos prævivit Cerinthus. Ab hoc enim Judam honoratum tradit Philaſtrius c. 36. de hæreſ. qui etiam c. 34. peculiarem eorum hæreſin conſtituit, qui Judam honorarunt. Poſt Cajaniſtas autem magno Judam affectu proſecutus dicitur Michael Balbus Imperator, quippe qui Judæ apotheoſi decreta eum beatis accenſuiſſe perhibetur à Theophilo Raynaudo *in Juda proditore* p. 689. ubi hæreticis iſtis adnumerat etiam Calviniſtas Occitanos ad S. Ægidium, quos dirutis Chriſti & Apoſtolorum imaginibus ſolam Judæ effigiem illæſam reliquiſſe ex Florimundo Remundo tradit. Verum Calviniſtas illos longe alias ejus rei cauſas habuiſſe dubium non eſt. Cæterum Cajanis in articulo de Judæ ſalute haud diſſimilis fuit Anabaptiſta quidam, cujus mentio apud Hornbeckium *in ſumm. controv. p. 390.* & Græculi quidam, de quibus Leo Allatius *in tract. de libris eccleſ. Græcor. p. 324.*

VI. Uſi ſunt Cajani apocrypho quodam Evangelio, quod Judæ nomine inſcriptum fuit, ut præter Irenæum l. c. Epiphanius in hæreſ. 38. teſtatur. Uſurparunt præterea & alios quoſdam libros impiis eorum dogmatibus refertos, & in his Pauli anabaticum, ut ab Epiphanio vocatur, ſeu anabatianum, ut a Glyca in annalibus appellatur, quod opus idem eſſe cum fictitia Pauli apoca- p. 120.

pocalypſi, cujus apud Auguſtinum *tract. 98. in Johann.* & Theophylactum *in comm. ad 2. Cor. XII.* mentio occurrit, exiſtimat Lupus *in not. ad Tertullian. de præſcript. p. 342.*

(*Pag 116.*) VII. Inter Cajanorum errores & illud fuit, quod ſtatuerunt eſſe aliqua peccata, quæ Chriſtus ſanguine ſuo purgare non poſſit, & tam profundas cicatrices primorum ſcelorum corporibus ac animis inhærere, ut medicina illius attenuari nequeant. Hoc dogma enim Cajanam hæreſin appellat Hieronymus, niſi forte Hieronymus magis ad verba Caini de peccatorum ſuorum remiſſione deſperantis quam ad hæreſin Cajanam reſpicit, ut Marianus Victorius in notis ad illam Hieronymi epiſtolam ſuſpicatur. (epiſt. 83. ad Ocean.)

VIII. Tertullianus, ut hoc etiam addamus, in libro de præſcript. c. 33. Cajanos Nicolaitis idolothyta comedentibus & ſtupra perpetrantibus accenſet. Ac de ſtupris quidem & turpiſſima Cajanorum vita abunde etiam Irenæus, Epiphanius & alii teſtantur, aſſerentes Cajanos cum Carpocratianis in omni ſcelerum genere perfectionem ſuam ſtatuiſſe. Quod autem Cajani ab idolothytis non abſtinuerint, exinde quodammodo colligi poteſt, quod de martyrio abjecte ſenſerint. Per Gnoſticos enim martyrium improbantes, adverſus quos Tertullianus ſuum Scorpiacum direxit, imprimis Cajanos intelligi notat Hieronymus in tractatu adverſus Vigilantium c. 3. Conferantur præterea de Cajanis Philaſtrius, qui perperam Cajanos inter hæreticos ante Chriſti adventum exortos retulit, *de hæreſ. c. 3.* Auguſtinus, qui inter alia hos hæreticos legem & legis Autorem blaſphemare, & carnis reſurrectionem negare aſſerit *in libr. de hæreſ. c. 18.* Autor Prædeſtinati, qui Cajanos in concilio quodam Antiocheno damnatos his verbis refert: *hos* (Cajanos) *ortos eſſe Meſopotamiani eccleſiarum Syriæ ſacerdotes ad cæteros ſuos Coepiſcopos con-*
(*Pag. 117.*) *ſcripſerunt. Quos triginta & duo Epiſcopi apud Antiochiam reſidentes cum ejusdem urbis Epiſcopo Theodoro in præſenti confutatos damnarunt, dicentes iis, quod Sanctus Spiritus locutus eſt per*

*Pro-*

*Prophetam: væ his qui dicunt de bono malum & de malo bonum.* Eſ. V, 20.
Quod concilium a Stephano Baluzio, cum in nova conciliorum collectione ex Autore Prædeſtinati aliqua concilia colligeret, omiſſum miror. Agunt etiam de Cajanis Hieronymus in indiculo hæreſium c. 8. ubi Cajanos etiam à Juda, quem omnibus Apoſtolis doctiorem dixerunt, *Judæos* ſeu *Judaitas* appellat, & Theodoretus lib. 1. de hæret. fabul. c. 15. ubi inter alia de Cajanis refert, quod quotiescunque turpe aliquod flagitium commiſerunt, Angeli alicujus nomen invocaverint, & docuerint, eſſe pro variis impudicitiæ formis pari numero Angelos, qui illis operibus colantur.

IX. Cajanæ hæreſi addictam fuiſſe QUINTILLAM, quæ baptiſmum deſtruxit, teſtis eſt Tertullianus, qui peculiari tractatu de baptiſmo Quintillam illam refutavit. Ex quo corrigendus eſt error Epiphanii & aliorum hunc ſequentium, qui Quintillianos ad Montaniſtas referunt, cum tamen Montaniſtæ baptiſmum non deſtruxerint, & ex ipſa Epiphanii lectione ſatis conſtet, nihil certi ipſum de Quintillianorum origine habuiſſe. Tribuit autem Epiphanius Quintillianis, quod viſiones & oracula jactitaverint & mulieribus officia ſacra permiſerint. Agit de iisdem Auguſtinus hæreſ. 27. qui eos eadem de infantis ſanguine facere ſcribit, quod in præcedenti capite de Cataphrygibus ſeu Montaniſtis dixerat. Dixerat autem eos de infantis anniculi ſanguine, quem ex toto corpore minutis punctionum vulneribus extorquebant, quaſi euchariſtiam ſuam conficere miſcentes cum farinæ, & panem inde facientes, & puerum quidem, ſi mortuus fuiſſet, pro martyre, ſi ſuperſtes manſiſſet, pro magno ſacerdote habuiſſe, cujus nefandi Sacramenti Epiphanius quoque in hæreſ. 49. nec non Zonaras & Balſamon in notis ad canonem. Concilii Conſtantinopolitani meminerunt. Verane iſta fama fuerit, an falſa, aliis dijudicandum relinquo Interim ſequiori quoque ævo fuiſſe perhibentur, qui à talibus myſteriis minimè abhorruerunt. De Fratricellis enim & aſſeclis Hermanni Pongilupi, cujus corpus, etſi à multis pro Sancto habitus cultusque fuiſ- (*Pag.* 118)

 ſet,

ſet, vigeſimo poſt mortem anno Bonifacii VIII. juſſu exhumatum & combuſtum eſt, refertur, quod fœtum ex nocturnis conventiculis conceptum tamdiu per manus in orbem ſtantium jactaverint, donec ſpiritum redderet, ille verò, in cujus manibus infans expiraſſet, Pontifex eorum Maximus creatus fuerit. Cremaſſe etiam dicuntur unum ex infantibus ſic procreatis, & poſtea cineribus in cadum conjectis & vino ſuper infuſo novitios conſecraſſe. Conferantur Autor ſupplementi, quod Helmſtadienſi Philaſtrii editioni ſubjunctum eſt c. 68. Prateolus in elencho hæreſium alphabetico ſub titulo: *fratricelli.* Spondanus in continuatione Baronii ad A. C. 1297. Sect. 8. & 9.

# CAP. IV.

## *de*

## Abelitis, Sethianis et Ophitis.

### I.

A Cainianis vel Cajanis progredimur ad ABELONIOS vel ABELLITAS ſeu ABELOITAS cum uxoribus
(*Pag.* 119.) quidem viventes & tamen continentiam profeſſos, quos Auguſtinus in epilogo libelli de hæreſibus ſuæ regionis hæreticos appellat & Hieronymo ignotos arbitratur, quale autem illorum inſtitutum fuerit explicat idem libello de hæreſibus c. 87. ubi etiam ſuo tempore omnes ad ſaniorem mentem perveniſſe refert. Hos Abelitas Danæus in not. ad Auguſt. paulò ante Auguſtini ætatem exortos conjicit; At Autor Prædeſtinati itidem hæreſi 87. etſi ſuo tempore jam extinctos aſſerat, priores tamen eſſe pæne omnibus hæreticis affirmat. Le Moynius notis ad Varia Sacra p. 1103. à

Doſi-

Doſitheanis, de quibus in hæreſibus Sec. I. dictum, Abeloitarum originem derivat. Nobis cum planè incertum ſit, quo tempore & quo autore Abelitæ exorti ſint, eos ad eadem cum Adamianis, Cainianis & Sethianis tempora referre placuit. Conf. præterea de Abelitis Bochart. in Geogr. Sacr. l. 2. c. 16. p. 851. & Prateolus in Elencho hæreſium l. 1.

II. SETHIANI, qui & SETHITÆ & SETHOITÆ dicti ſunt, Sethum, qui itidem ut Cain & Abel Adami filius fuit, ipſum Chriſtum eſſe dixerunt, ut refert Epiph. hær. 39. apud quem & plures Sethianorum fabulæ legi poterunt. Conferantur præterea Tertullianus de præſcript. c. 47. Philaſtrius de hæreſibus c. 3. Auguſt. de hæreſibus c. 19. Autor Prædeſtinati eod. cap. ubi Sethianos à Perigene Argus civitatis epiſcopo confutatos & partim converſos, partim anathematis gladio percuſſos memorat. Hieron. Indic. hæreſ. c. 9. & 17. Damaſc. hæreſ. c. 39. Rabanus Maurus de Inſtitutione Clericorum. l. 2. c. 58.

III. Sethianos etiam OPHIANOS vel OPHITAS (Pag. 110.) dici ait Theodoretus hæret. fab. c. 14. verùm à Sethianis diverſi ſunt Ophitæ à ſerpente ſic dicti, ſive quia ipſam σοφίαν ſerpentem factam dixerunt, juxta Irenæum l. 1. c. 34. Sive quia ſerpentem tanquam ſcientiæ boni & mali autorem tanti fecerunt, ut ipſi Chriſto prætulerint, juxta Tertull. de præſcript. c. 47. ſive quia ſerpentem Paradiſiacum Chriſtum fuiſſe arbitrati ſunt, & ſerpentem aliquem in ſpelunca nutriverunt, & venerati ſunt à quo per magicas incantationes evocato & ſuper altare egreſſo oblationes ſuas ſanctificari crediderunt, ut refert Auguſtinus de hæreſ. c. 17. Conf. præterea de Ophitis Orig. l. VI. contra Celſum, p. 291. & 294. Ubi inter alia ſectæ hujus autorem Euphratem quempiam fuiſſe memorat & Ophianos Chriſtianos eſſe negat, cum neminem in ſuum ſodalitium adſciſcant, niſi prius Jeſum execratus fuerit, it. l. VII. contra Celſum p. 358. Philaſtrius c. 1. de hæreſ. Epiph. hær. 37. Autor Prædeſtinati hær. 17. ubi eos à Bithyniæ Sacerdotibus, Theocrito inprimis & Evandro impu-

gnatos ac debellatos narrat, Hieron. Indic. hær. c. 3. apud quem *Offitæ* dicuntur, Damaſc. de hæreſ. c. 37. & Cotelerius in notis ad h. l. ubi apud Sophronium in Synodica, quæ in actione XI. Concilii ſexti Generalis legitur, librariorum vitio pro Ophianis *Sophianos* legi animadvertit.

(*Pag.* 121.)

# CAP. V.

*de*

# Valentino.

I.

INter hæreſiarchas ævi Apoſtolico proximi haud infimum locum tenuit VALENTINUS, quem ipſum quoque Apoſtolicum ſeculum attigiſſe, & Johanne Apoſtolo adhuc vivente hæreſin ſuam diſſeminaſſe, Victorinus & Autpertus in ſuis ad Apocalypſin Commentariis tradiderunt, quorum autoritate Cotelerius in notis ad epiſtolam Ignatii Magneſiis inſcriptam probat, Ignatio Valentini errores perſpectos & cognitos eſſe potuiſſe. Multa quoque pro antiquitate hujus ſectæ adducit Pearſonius P. II. Vindic. Ignatii c. 7. Contra diu poſt Ignatii obitum Valentinianam hæreſin emerſiſſe ſtatuunt Dallæus de ſcriptis Ignatii c. 12. & Larroquanus in obſerv. ad Ignatianas Pearſonii vindicias p. 226. Illud certum eſt, jam eo tempore, quo Juſtinus Martyr Dialogum cum Tryphone ſcripſit, Valentinianorum hæreſin cognitam fuiſſe, cum hic Dialogus eorum expreſſam mentionem faciat p. 253. Librum autem hunc Juſtini Joſephus Scaliger in Animadv. ad Chronicon Euſebii p. 219. ſub Hadriano ſcriptum ex eo colligit, quod ſtatim ſub initium hujus Dialogi Tryphon ſe τὸν νῦν γινόμενον πόλεμον h. e. bellum Judaicum ſub Ha-

Hadriano geſtum effugiſſe dicat. Verum in Juſtino non legitur γινόμενον ſed γενόμενον, particula autem νῦν non ſemper de re præſenti aut admodum recenti uſurpatur, ut notavit Valeſius ad l. IV. Euſeb. c. 8. Accedit, quod Juſtinus in Dialogo v. 349. ad (*Pag. 122.*) Apologiam Antonino oblatam reſpicere videtur, unde probabilius ſtatuitur, Dialogum Juſtini cum Tryphone ſub Antonino Pio elaboratum fuiſſe, ad cujus imperium etiam Theodoretus l. 1. hæret. fabul. c. 7. & Tertull. c. 30. de præſcript. Valentini ætatem poſuerunt. Et Euſebius quidem in Chronico editionis Scaligerianæ p. 168. anno Antonini tertio ſeu anno Chriſti 141. Valentinum Romam veniſſe, & anno Antonini VIto, ſeu anno 144. pro hæretico agnitum aſſerit, quamvis in græco Euſebii textu jam anno tertio Antonini, ſeu anno 141. Valentinus, ut propriæ hæreſeos conditor Romæ agnitus dicatur. Nec ab his ſcriptoribus diſſentit Irenæus, qui lib. 3. c. 4. Valentinum ſub Hygino Romanæ urbis epiſcopo Romam veniſſe, ſub Pio increviſſe & usque ad Anicetum tempus ſuum prorogaſſe ſcribit. Hyginus enim juxta Euſeb. in Chronic. anno Antonini Pii ſecundo ſeu anno Chriſti 140. Romanæ eccleſiæ epiſcopatum ſuſcepit, etſi ab Euſebii calculo multum recedant ab una parte, qui cum Labbæo in regia epitome Hiſt. Eccleſ. & profanæ & Calviſio in Chronologia Hyginum anno demum 152. vel cum Baronio in annal. anno 154. Hyginum Romanam cathedram occupaſſe ſcribunt, ab altera parte Pearſonius & Dodvvellus, è quibus hic Hyginum ab anno Chriſti 123. ad ann. usque 127. ille vero ab anno Chriſti 122. ad 126. Romanæ Eccleſiæ præfuiſſe ſtatuit in diſſert. de ſucceſſione Romanor. Pontific. quorum rationes ſi ſequamur, jam ſub Hadriano Valentinum Romam veniſſe dicendum erit, cui ſententiæ quodammodo favet, quod Clemens Alexandr. l. 7. Stromat. p. 549. Valentinum iis hæreſiarchis adjungit, qui circa Hadriani tempora hæreſes excogitarunt, & usque ad Antonini tempora pervenerunt. (*Pag. 123.*)

II. Natales Valentinus obſcuros habuit. Epiphanius tamen Patria Phrebonitem fuiſſe accepit hæreſ. 31. Sect. II. Præcepto-

ceptorem ejus fuiſſe Theudadem Pauli familiarem gloriari ejus aſſeclæ ſolebant, teſte Clem. Alex. l. VII. Stromat. l. c. Occaſionem ab orthodoxa Eccleſia deficiendi præbuit repulſa Epiſcopatûs, ut refert Tertull. lib. adv. Valent. c. 4. qui etiam Valentinum ſub Eleutheri Pontificatu ſemel iterumque eccleſiâ ejectum memorat lib. de præſcript. c. 30. Errores autem ſuos etiam per ſcripta diſſeminavit, quorum nonnulla fragmenta apud Clementem Alexandrinum extant, nempe ex epiſtola quadam Valentini l. 2. Stromat. p. 275. & 299. ex epiſt. ad Agathopodem l. 3. Stromat. p. 329. ex Homilia quadam Valentini lib. IV. Stromat. p. 371. & ex Homilia de amicis l. VI. Strom. p. 462. quibus addi poſſunt, quæ ex libro quodam Valentinianorum producit Epiph. hæreſ. 31. Sect. V. & VI.

III. Valentinum ſacras Scripturas non quidem manu, ſed tamen Scripturæ ſenſum falſa expoſitione intervertiſſe aſſerit Tertull. de præſcript. c. 38. Ex Scripturis autem veritatem hauriri non poſſe ſtatuebant, ab his, qui traditiones neſcirent, ut teſtatur Irenæus l. 3. c. 2. Unde fallitur Nat. Alex. cum diſſ. 16. Sec. II. Valentinianos neglectis traditionibus ad ſolam Scripturam provocaſſe putat, eorumque veſtigia Lutheranos cum aliis hæreticis premere arbitratur. Aliis præterea libris Apocryphis utebantur Valentiniani, quorſum ſpectant Pſalmi Va- (Pag. 124.) lentini, quorum apud Tertullianum lib. de carne Chriſti cap. 17. mentio injicitur, ut alia ejus generis commenta taceamus.

IV. Fabuloſæ triginta Æonum generationes, quas Valentinus finxit, originem debent partim poëtarum gentilium fabulis & inprimis Heſiodo, cujus Theogonias Alexandriæ didicit, ut refert Epiph. hæreſ. 31. Sect. 2. partim Philoſophiæ Platonicæ, à qua Valentini Æones derivat Tertullianus lib. de præſcript. c. 7. partim aliis Gnoſticis, ut ex Irenæo aliiſque ſcriptoribus probat Pearſonius p. II. Vindic. Ignatii, partim abuſui Scripturæ, & doxologiæ eccleſiaſticæ, in qua Deo *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων* gloria dicitur. Ut notavit Iren. lib. 1. cap. 1. ubi etiam

etiam nomina illorum Æonum variæque combinationes videantur.

V. Deum ut corporeum humaniſque membris habituque conſtantem Valentiniani deſcribebant ſi fides Rufino in invectiva prima adverſus Hieron. T. IX. Oper. Hier. p. 164. Duo item principia ponebant juxta Originem l. 4. περὶ ἀρχῶν c. 7. & Hieronymum in proœmio epiſtolæ ad Philippenſes T. 6 Oper. p. 211. & ad c. 3. ep. ad Epheſ. p. 173. Chriſtum vero corpus cœleſte habuiſſe, quod per Mariæ uterum velut aqua per canalem nihil de ejus ſubſtantia aſſumens transmeaverit, Valentinus docuit, ut memorat Tertullianus lib. de præſcript. c. 49. Nonnulli tamen ex Valentinianis Chriſtum ex Joſepho & Maria natum ſtatuiſſe videntur, ut ex Pamphili Apologia pro Origene notat Huetius in notis ad Origen. pag. 120. Plura Valentinianorum de Chriſto ſomnia apud Irenæum & Epiphanium videantur.

VI. Hominum triplex genus ſtatuerunt Valentiniani Pnevmaticum, Pſychicum & Hylicum ſeu Choicum. Pnevmatico ſeu ſpirituali homini tribuerunt animam naturâ bonam, eumque tam perfectum eſſe cenſuerunt, ut omnes judicare & à nemine judicari poſſit, omniaque ſcelera & flagitia impunè perpetrare, cum mundis omnia munda; non æquè tantum licere homini Pſychico ſeu animali opinati ſunt, ſed ei bona opera neceſſaria eſſe, cum hoc genus hominum imperfectum ſit. Hylico, id eſt, materiali animam naturâ malam tribuerunt. Primi igitur generis homines peccare & perire non poſſe, ultimi generis ad exitium conditos, medii pro diverſa vitæ ratione vel ſalvari vel exitium promereri poſſe ſtatuerunt. Exemplum hominis terreni in Caino, Pſychici in Abele, Pnevmatici in Setho propoſuerunt, qua de re Irenæus l. 1. c. 1. & Tertullianus contra Valentinianos c. 29. videantur. Inductos in hunc errorem Valentinianos pſeudherminiâ dictorum quorundam Scripturæ ſuſpicatur Huetius in notis ad Originem p. 7. ubi & Stoicos à Cicerone in libro de Fato refutatos Valentinianis quodammodo præluſiſſe monet. (Pag. 125.)

VII. Re-

VII. Reſurrectionem hujus carnis negaſſe Valentinum autor eſt Tertullianus c. 49. de Præſcript. & Hieronymus ep. 61. quæ eſt adverſus errores Joh. Hieroſolymitani c. 8. Dicebant enim ejus aſſeclæ jam factam eſſe reſurrectionem, ut notat Tertullianus c. 33. de præſcript. Juxta Epip. hæreſ. 31. Sect. 7. non hoc corpus reſurgere Valentiniani dixerunt, ſed aliud ex eo ortum ſeu ſpirituale, neque tamen omnium, ſed eorum tantum, quos ſpirituales vocant & animales, ſi juſtè honeſteque vivant. Materiales autem funditus perire nec ulla ſui parte ſervari cenſuerunt, ut alia ipſorum deliria taceamus, de quibus præter autores (Pag. 126) jam citatos videri poterunt Clemens Alexandr. *in Eclogis ex Theodoto*, Philaſtrius *de hæreſ. c. 38.* Theodor. *l. 1. de hæret. fabul. c.* 7. Auguſt. *de hæreſ. c.* 11. Autor Prædeſtinati *eodem capite*, Hieronymus *in Indiculo hæreſium c. 7.* quem locum aliter diſtinxit & emendavit Cotelerius *in notis ad Eccleſ. Græc. monum. T. I. p. 766.* Cyrillus Hieroſol. *Catecheſ. VI.* Damaſc. *de hæreſ. c.* 31. Timotheus Presbyter *de receptione hæretic. p. 380.* Honorius *de hæreſ. c. 26.* Petreus *in Catalogo hæretic. p. 221.* Cramerus *in hæreſeol. Claſſ. III. c. IV.* Chemnit. P. I. *LL. Th. p. 73. 167. 288. &c.* Comparationem inter Valentinianos & Pontificios inſtituit Scultetus *P. I. Medull. Patr. p. 113.*

VIII. Contra celebrem hunc hæreſiarcham ejuſque doctrinam fortiter pugnarunt haud pauci Eccleſiæ Doctores, in quibus Polycarpus, qui cum ſub Aniceto Romam veniſſet, multos Valentini & Marcionis hæreſi infectos ad orthodoxam Eccleſiam reduxit, teſte Irenæo l. 3. c. 3. quem locum reſpexit Euſebius in Chron. ad annum Chriſti 154. & integrum exſcripſit l. 4. c. 14. H. E. Idem planè de Hegeſippo quoque Euſebium tradere ſcribunt Magdeburgenſes Cent. II. p. 91. quos plures alii ſequuntur, etſi Euſebius de Hegeſippo id nuſquam ſcripſerit. Inſtructiſſimis verò Voluminibus Valentinianam hæreſin & prodidiſſe & contudiſſe Juſtinum Martyrem, Miltiadem, Irenæum & Proculum teſtis eſt Tertullianus, qui & ipſe his annumerandus, *lib. contra Valentinian. c. 5.* Theophilum quoque Antiochenum & plures alios Valentinianorum adverſariis annumerat Baronius ad ann. Chriſti 145. p. 103. Verum Theodoretus, quem pro ſe allegat,

gat, non Valentini ſed Marcionis hæreſin ab his impugnatam ſcribit. *l. 1. hæret. fabul. c. 25.* Neque ſequentium ſeculorum Doctores contra Valentinianos militare ceſſarunt, è quibus Origenes (*Pag. 127.*) Valentinianos in ſcriptis ſuis frequenter inſectatur, quod etiam fieri videas in Dialogo de recta in Deum fide, qui ſub Originis nomine proſtat. *Sect. IV. p. 85. & ſqq.*

# CAPUT VI.

## *de*

## Valentini aſſeclis & diſcipulis, Ptolomæo, Secundo, Heracleone, Marco, Colarbaſo, Baſſo, Florino, Blaſto, Berone & aliis.

### I.

INter aſſeclas Valentini, qui tamen nonnulla in Magiſtri ſui figmentis immutarunt, fuit PTOLOMÆUS, cujus epiſtola ad Floram gregis ſui mulierculam apud Epiphanium legitur, præter quem de Ptolomæo videantur etiam Tertullianus *adv. Valentinum c. 4.* Philaſtrius *de hæreſ. c. 39.* Auguſtinus *de hæreſ. c. 13.* Autor Prædeſtinati *eodem capite*, Damaſcenus *de hæreſ. c. 33.* Nicetas Choniates *lib. 4. theſ. orthod. c. 5. p. 263.* Meminit quoque Ptolomæi Irenæus *in præfatione librorum adv. hæreſes*, item *lib. 1. c. 1.* & *lib. 2. c. 4. & 40.* (hæreſ. 33. ſect. 7.)

II. Ex eadem Valentini ſchola prodiit SECUNDUS, cujus errores recenſent Irenæus *lib. 1. c. 5.* Tertullianus *adv. Valentinum c. 38.* Autor appendicis ad Tertullianum de præſcriptionibus *c. 49.* Philaſtrius *de hæreſ. c.* 40. Epiphanius & Damaſcenus *hæreſ. 32.* Auguſtinus & Autor Prædeſtinati *hæreſ. 12.* Theodoretus *lib. 1. de hæretic. fabulis c. 8.*

(*Pag. 128.*)

III. HERACLEON itidem Valentini aſſecla qualem Æonum generationem finxerit, legitur apud Philaſtrium *de hæreſ. c. 41.* & Autorem appendicis ad Tertullianum de præſcript. *c. 49.* De confesſione qualis Heracleonis ſententia fuerit, exponit Clemens Alexandrinus. Meminit quoque Heracleonis Clemens Alexandrinus in eclogis propheticis, & quid de baptiſmo ignis tradiderit, recenſet. De baptiſmo docuit Heracleon, baptizatum ſive juſtum ſive peccatorem loco ſancti computandum, nihilque baptizatis obeſſe peccata, cum ſicut ignis natura gelu non recipit, ſed nives potius diſſolvit, ita quoque ſemel baptizatus peccatorum reatum in ſe non recipiat, quantacunque peccata operibus ejus permixta fuerint, ut docet Autor Prædeſtinati, qui etiam, quid à Siculis Epiſcopis, & Alexandro Romanæ Urbis Epiſcopo & Presbytero Sabiano contra Heracleonem geſtum fuerit, commemorat, quam relationem tamen dubiæ veritatis eſſe notat Pearſon. *in diſſertatione de ſucceſſionibus Romanorum Pontificum p. 230.* Scripſit Heracleon commentarium in Johannis Evangelium, eumque paſſim inſectatur & refutat Origenes in ſuis ad Johannem commentariis, è quibus varii Heracleonis errores excerpi poſſunt e. g. quod docuerit Heracleon Chriſtum habere corpus imperfectum, cum agnus Dei appelletur, quod ſtatuerit, eos qui Deum in ſpiritu & veritate adorant, ejusdem eſſe cum Deo ſubſtantiæ, ut alia taceamus. Quomodo oleum vel unguentum capitibus morientium adſperſerint, & unctioni ſuperſtitioſas invocationes addiderint Heracleonitæ, videatur apud Epiphanium & Auguſtinum. Epiphanius hoc etiam addit, quod ſtatuerint in homine præter corpus & animam tertium quid, quod poſt mortem altius quam ipſas animas volare cenſuerunt.

lib. 4. Strom. p. 369.

hæreſ. 16.

(*Pag. 129.*)

hæreſ. 36. ſect. 2. de hæreſ. c. 16.

IV. MAR-

IV. MARCUS ejusdem Valentinianæ ſcholæ diſcipulus & MARCITARUM ſeu MARCOSIORUM Autor præſtigiis ſuis vinum euchariſticum in ſanguinem permutare viſus eſt, ut refert Irenæus *lib. 1. c. 9.* Monſtroſa ejus dogmata referuntur ab eodem *c. 10. 11. 12. & ſeqq.* De baptiſmo in nomine ignoti Patris omnium, in veritate matris omnium, & in nomine deſcendentis JEſu ad unitionem & redemtionem, & communionem virtutum, deque aliis ritibus, quibus ſectæ hujus homines initiati ſunt, legitur *c. 18.* Græcum Irenæi textum exhibet Epiphanius, qui nonum & ſequentia Irenæi capita integra deſcribit. hæreſ. 34. De verſibus ſenariis contra Marcum, quos ex incerto quodam Autore producit Irenæus *ſub finem cap. 12.* & ex Irenæo Epiphanius repetit, videatur Scaliger *in animadverſionibus ad chronic. Euſebii p. 218.* Petavius *in notis ad Epiphanium p. 73.* Le Moyne *in notis ad varia ſacra p. 648.* De ipſo vero Marco ejuſque hæreſi conſuli etiam poterunt Autor appendicis ad Tertullianum *de præſcriptionibus c. 50.* Euſebius *lib. 4. hiſt. eccl. c. 11.* Philaſtrius *de hæreſibus c. 42.* Auguſtinus *de hæreſibus c. 14.* Theodoretus *lib. 1. hæret. fab. c. 9.* Autor Prædeſtinati *hæreſ. 14.* qui Marci antagoniſtam facit Clementem Romanum, quod temporum ratio vix admittit obſervante Pearſonio *in diſſ. de ſucc. Pontif. Rom. p. 238.* Marcus ille Marcoſiorum Autor diſtinguendus eſt à Marco, quem de Priſcillianis loquens Sulpitius Severus primum eam hæreſin in Hiſpanias intuliſſe ſcribit. (*Pag. 130.*) Lib. 2. hiſtor. ſacr. c. 60. Utrumque confundere videtur Hieronymus, cum *in comment. ad Iſ. 44.* ſcribit, Marcum primum in Gallias ac deinde in Hiſpanias navigaſſe, & per hanc occaſionem Hiſpaniarum & Luſitaniæ mulierculas deceptas fuiſſe, de quibus diligentiſſime ſcribat Irenæus. Qua de re idem Hieronymus etiam in epiſtola 29. agit his verbis: *refert Irenæus vir apoſtolicorum temporum & Papiæ auditoris Evangeliſtæ Johannis diſcipulus, Epiſcopus eccleſiæ Lugdunenſis, quod Marcus quidam de Baſilidis Gnoſtici ſtirpe deſcendens primum ad Gallias venerit, & eas partes, per quas Rhodanus & Garumna fluunt, ſua doctrina maculaverit, maximeque nobiles fœminas, quædam in occulto my-*

*ſteria repromittens, hoc errore ſeduxerit magicis artibus, & ſecreta corporum voluptate amorem ſui concilians, inde Pyrenæum tranſiens Hiſpanias occuparit, & hoc ſtudii habuerit, ut divitum domos, & in ipſis fœminas maxime appeteret &c.* Verum hallucinari hic Hieronymum & plura dicere quam Irenæum, poſt Hermantium *in notis ad vitam Gallicam Ambroſii* obſervavit Antonius Pagi *in Critica hiſtorico-chronologica, A. C.* 381. *Sect. XII.* quam in Baronii annales ſuperiori anno Lutetiæ vulgavit.

V. Marco COLARBASUM jungit Irenæus *in titulo cap.* 8. *lib.* 1. & Autor appendicis ad Tertullianum de præſcript. *c.* 50. Hinc nati Colarbaſiani, quorum ſomnia recenſent Epiphanius *hæreſ.* 30. Auguſtinus *de hæreſ. c.* 15. Theodoretus *lib.* 1. *c.* 12. Damaſcenus *de hæreſ. c.* 35. Nicetas, qui pro Colarbaſo Colobarſum vocat, *lib.* 4. *theſauri orthodoxi c.* 8. Præter alia ſomnia Chriſtum in carnis ſubſtantia veniſſe inficiati ſunt, reſurrectionem (*Pag.* 131.) negarunt. & in numeris & literarum elementis varia myſteria quæſiverunt. Autor Prædeſtinati eos à Theodoro Pergamenſi in Synodo ſeptem Epiſcoporum anathematizatos tradit.

de hæreſ. c. 43. VI. Philaſtrius autem Marco Valentiniano C. Baſſum ſubjungit, unde præter Colarbaſum etiam BASSUM inter ſeculi hujus hæreticos referunt Pappus *in epitom. hiſt. eccl. p.* 222. & Prateolus *in elencho hæreſium p.* 433. de Baſſo & *p.* 466. de Colarbaſo agens. Verum cum Philaſtrius in ſuo catalogo Colarbaſi non meminerit, & reliqui veteres, qui de Colarbaſo agunt, Baſſum in recenſendis hæreticis omittant, & præterea Philaſtrius Baſſo ſuo eadem tribuat, quæ alii Scriptores Colarbaſo tribuerunt, non improbabilis eſt Stephani Baluzii conjectura, qui in Philaſtrio pro C. Baſſo Colarbaſi nomen ſcribendum eſſe monet. (Collect. nov. concil. p. 6.) Et recte quoque Baſſum Philaſtrii à Colarbaſo haud diverſum eſſe animadvertit Ricciolus, cum Heracleonem *Baſſi ſeu Colarbaſi diſcipulum* appellat. (part. 3. chron. ref. p. 119.)

VII. Ad Valentinianos ab orthodoxa eccleſia defeciſſe FLORINUM & BLASTUM Romanos Presbyteros Autor

tor eſt Theodoretus *lib. 1. de hæret. fab. c. 23.* Et FLORINO quidem Polycarpi quondam auditori, cum in Valentini errorem abreptus fuiſſet, librum ſuum de octonario oppoſuit Irenæus teſte Euſebio *lib. 5. c. 20.* ubi etiam meminit tractatus de monarchia ſeu epiſtolæ ad Florinum ſcriptæ, in qua Irenæus aſſeruit, DEUM non eſſe malorum Autorem. Unde colligit Valeſius, Florinum duplicem Deum unum boni alterum mali autorem ſtatuiſſe. Conferantur quoque de Florino Auguſtinus *de hæreſibus c. 66.* & Autor Prædeſtinati *eodem capite*, ubi Florini dogma ita recenſetur, quaſi ſtatuerit DEUM animas quaſdam immutabiliter bonas, quaſdam immutabiliter malas creaviſſe, quem errorem à Theodoro quodam exemplo Judæ proditoris & meretricis converſæ refutatum fuiſſe apud eundem Autorem legitur. Vocatur autem hujus ſectæ Autor ab Autore Prædeſtinati Florianus, quemadmodum & apud Iſidorum Florinianos, vel Florianos à Floriano derivari ſcribit Danæus *in notis ad Auguſtin. de hæreſ.* Verum in editionibus Iſidori, quibus utor, Baſileenſi 1577. & Colonienſi 1617. non Floriani ſed Florini nomen deprehendo. Et ſic etiam legitur apud Rabanum Maurum, qui Iſidorum in recenſendis hæreticis κατὰ πόδα ſequitur, *lib. 2. de inſtit. Cleric. c. 58.* Philaſtrius autem Florianos eosdem facit cum Carpocratianis, quem hic ſequitur Forbeſius *lib. 1. inſtruct. c. 37. th. 1. & 4.* Cæterum Florinum, cum novam hæreſin contra fidei veritatem inveheret, Presbyterii gradu dejectum memorat Euſebius *lib. 5. c. 15.* (*Pag. 132.*) *de hæreſ. c. 57.*

VIII. Ad BLASTUM, quem cum Florino ad Valentinianos defeciſſe diximus, epiſtolam de Schiſmate ſcripſit Irenæus, ut refert Euſebius *lib. 5. c. 20.* qui etiam Blaſti una cum Florino meminit, *lib. 5. c. 15.* eumque ut Floriani πτώματ☉ ſocium introducit, quod πτῶμα vel cum Ruffino de errore, vel cum Nicephoro *lib. 4. c. 20. hiſt. eccl.* de exauctoratione explicari poſſe Valeſius notavit. Et Tertullianus quidem ſeu potius Autor appendicis ad Tertullianum de præſcript. *c. 53.* Blaſtum arguit, quod Judaiſmum latenter introducere conatus fuerit, & Paſcha eodem cum Judæis tempore neceſſario celebrandum docuerit.

(*Pag.133.*) IX. Ad Valentini hæreſin lapſus quoque BARDESANES, qui à Freculpho in chronico librariorum vitio *Tardeſanes*
tom. 2. lib. 2. c. 20. appellatur, & quamvis poſtea reſipuerit, errores tamen ſuos non penitus exuit, ut teſtatur Euſebius *lib. 4. c. 30.* & Hieronymus *in catalogo C. 33.* Conferantur etiam Epiphanius *hæreſ. 56.* Auguſtinus & Autor Prædeſtinati *hæreſ. 35.* & Theodoretus *lib. 1. de hæret. fab. c. 23.* ubi & Bardeſanis & Filii ejus Harmonii errores ab Ephraimo Syro refutatos tradit, qua de re prolixius agit Nicephorus *lib. 9. c. 16.* qui tamen Bardeſanem Syrum ejuſque filium Harmonium Ephraimo Syro coætaneos facere videtur. Apud Ori-
p. 70. & 71. genem *in dialogo de recta in Deum fide ſect. 3.* Marinus quidam Bardeſianiſta ſe alioſque Bardeſianiſtas in tribus cum catholicis non convenire dicit, nempe 1. quod Diabolum à Deo creatum negent, 2. quod Filium Dei carnem humanam aſſumpſiſſe inficientur, & 3. quod aſſerant corpus hoc non reſurgere.

X. BERONEM quoque Valentini hæreſi irretitum fuiſſe, antequam ea deſerta ad pejora dogmata ſe cum aliis converteret, teſtatur *in ſermone de theologia & incarnatione contra Beronem & Helicem hæreticos* Hippolytus Portuenſis Epiſcopus, quem Apoſtolis notum & familiarem fuiſſe non ſine hyperbole pro-
c. CIX. p. 293. nunciat Cyrillus Scythopolitanus in vita Euthymii, quam Latine antea tantum extantem Cotelerius in monumentis eccleſiæ Græcæ tom. 2. & nuperrime Monachi Benedictini è congrega-
p. 82. tione S. Mauri in analectis ſuis Græcis Tom. 1. ediderunt. Non diffiteor tamen veriſimiliorem mihi eorum ſententiam videri, qui fragmenta iſta ex Hippolyti ſermone contra Beronem & He-
(*Pag.134.*) licem, qualia Latine apud Caniſium Tom. V. lect. antiquarum ex interpretatione Franciſci Turriani, Græce vero & Latine in Anaſtaſii Bibliothecarii collectaneis à Jacobo Sirmondo editis habentur, non eſſe Hippolyti Portuenſis ſed Scriptoris longe junioris, etſi haud neſciam Georgium Bullum in defenſione fi-
p. 160. dei Nicenæ contra Sandium & Autorem Irenici irenicorum hunc Hippolyti fœtum tanquam genuinum defendere.

XI.

XI. ALEXANDRI hæretici Valentiniani meminit Tertullianus de carne Chriſti c. 16 & 17. ubi cum Syllogiſmis ſuis Valentini Pſalmos interſerere ſcribit, & fortaſſe hic Alexander idem eſt cum veteri illo hæretico, quem Commentarium in epiſt. ad Gal. ediditſſe Hieronymus epiſt. 89. & in proœmio Commentarii in epiſt. ad Gal. teſtatur. Meminit quoque Tertullianus inter Valentini aſſeclas *Theotimi* cujusdam & *Axionici c. 4.* adverſus Valentinianos, verum hi non minus obſcuri ſunt, quàm *Coſſianus* & quidam alii à Theodoreto lib. 1. c. 8. memorati.

# CAPUT VII.

## de

## Cerdone & Marcione.

### I.

VAlentini σύγχρονος fuit CERDON, cui Sophronius in epiſtola Synodica Sacerdonem quendam adjungit; verùm Cotelerio probabile videtur, ſcriptum primitus fuiſſe non Κέρδων, Σακέρδων, ſed Κέρδων ἀκέρδων, alluſione factâ ad nomen κέρδος, quod lucrum ſignificat, quaſi Cerdon hæreſi ſuâ nihil lucratus fuerit, quales alluſiones veteribus non infrequentes fuiſſe Cotelerius pluribus exemplis demonſtravit. Præcipua autem Cerdonis dogmata hæc fuerunt; quòd duo Principia ſibi contraria ſtatuit, legem & Prophetas tanquam mali Dei miniſtros repudiavit, Chriſto corpus non verum, ſed phantaſticum tribuit & reſurrectionem negavit. Conf. Irenæus *l. 1. c. 28. & l. 3. c. 4.* ubi ipſum modò latenter docuiſſe, modò pœnitentiam ſimulaſſe memorat. Tertullianus *de præſcript. c. 51.* Philaſtrius *de hæreſ. c. 44.* Epiph. *hær. 41.* Auguſtin. *hær. 21.* Aut. Prædeſt. *hær. 23.* Theodor. *l. 1. hæret. fab. c. 24.*

T. III. Monum. Eccleſ. græc. p. 627.

(*Pag. 135.*) l. c. & not. ad Conſtit. Apoſt.

II. Cer-

II. Cerdonis diſcipulus fuit MARCION, Ponticus Nauclerus à Tertulliano appellatus. Ponticus quidem à Patria, Nauclerus autem, quo nomine etiam à Rhodone apud Euſebium *l. 5. c.* 13. ſalutatur, ſive quòd verè nauta fuerit, ut Georgius Ambianenſis in Tertulliano redivivo ſtatuit, ſive per jocum, quæ Rhenani eſt ſententia. Idem Tertullianus, ut Marcionis ætatem indicet, Antoninianum hæreticum vocat, ſub Pio impium. Sanè etiam Gregorius Abulpharajus in hiſtoria Dynaſtiarum p. 77. & plures alii ad Antonini Pii Imperium Marcionis tempora referunt. Quamvis Clemens Alexandrinus ad Hadriani tempora initia hujus hæreſeos referre videatur & Philaſtrius Marcionem à Johanne Evangeliſta ex Epheſina civitate fugatum ſcribat. Plura de ætate Marcionis vid. ap. Pearſonium *in Vindic. Ignatii P. II. p. 79. & in Diſſertatione II. de ſucceſſion. Romanorum Pontificum c. 8.* Dodvvellum *in additam. ad hoc caput pag.* 245. Larroqu. *in obſerv. ad Ignat.* Pearſon. *Vindic. p. 246.* Nat. Alex. *Diſſ. II. Sect. I. Art. I.*

c. 30. de Præſcript.

l. 1. adv. Marcion. c. 19.

l. 7. Stromat.

l. de hær. c. 45.

(*Pag.* 136.) III. Monachi inſtitutum primùm præ ſe tuliſſe Marcionem refert Epiph. *hær. 42. c. 1.* Verùm cum Monaſtica vita hac ætate nondum in uſu fuerit & inter primos Monaſticæ vitæ in Ponto autores Baſilius fuerit, ut ipſe in literis ad Euſtathium teſtatur, non immeritò de Epiphanii fide hìc dubitandum cenſet Lupus. Idem Epiphanius Marcionem ob ſtuprum Virgini illatum à Patre ſuo, qui ſacerdotali munere functus eſt, eccleſiæ communione ejectum narrat, cujus rei etiam antiquus ille ſed incertus autor meminit, qui ad Tertulliani librum de præſcriptionibus hiſtoriam veterum quarundam hæreſium adjecit & vulgò ſub ipſius Tertulliani nomine allegari ſolet, *cap.* 51. etſi ipſe Tertullianus in prolixis, quos contra Marcionem ſcripſit libris ejus rei nuſpiam meminerit. Addit verò Epiphanius, Marcionem à Patre eccleſiâ ejectum Romam fugiſſe, ſed nec ibi in communionem receptum fuiſſe.

In not. ad Tertull. de præſcript. p. 485.

IV. Ex eo, quòd Marcion excommunicatus Romam fugit, Pontificii quidam arguunt Marcionis ætate notiſſimum fuiſſe,

ſe, quòd Pontifices Romani poteſtatem habeant ab aliis excommunicatos abſolvendi, quæ pro contraria ſententia ex ipſa Marcionis hiſtoria objecit Joh. Launojus in duabus epiſt. part. 1. quarum una Antonio Fauro, altera Ludovico Cuſino inſcripta eſt, eludere conatur Schelſtr. *in Antiqu. Illuſtr. P. II. diſſ. 1. p.* 148. Neque minus Chriſtianus Lupus ſcribit, Marcionem non ſine fundamento à Romana Eccleſia abſolutionem ſperaſſe, cum ſupremam ſolvendi & ligandi poteſtatem illic vigere cum omni Ponto & toto mundo crediderit. Idem Lupus in Privileg. S. Petri c. 18. Marcionem ab Eccleſia ejectum Romam appellaſſe ſcribit. *p. 162.* Verùm Marcionem à Patre eccleſiâ expulſum Romanum Pontificem appellaſſe negat. Nat. Alex. *Diſſ. II. Sec. II. art. III.* & ex hoc conſtare ait, quæ Bellarmino fides adhibenda ſit, quòd inter exempla eorum, qui Romanam Eccleſiam & Pontificem ante Sardicenſe Concilium appellaverunt, Marcionis appellationem primo loco recenſeat l. 2. de Romano Pontif. c. 21. Vid. etiam Chamier in Panſtrat. Cathol. contra Bellarm. T. II. l. 13. c. 9. Th. 2, 3, & 4. P. V. Concil. p. 136. (*Pag.* 137.)

V. Antequam Romam veniret Marcion, in Syria docuit, ut Epiphanius Autor eſt, & Philaſtrius quoque ſcribit Marcionem tum demum hæreſin ſuam Romæ ſeminaſſe, cum jam in Aſia à Johanne, cujus diſcipulos fortaſſe Philaſtrius intelligit, & à Presbyteris devictus & ex civitate Epheſi fugatus eſſet. Atque hinc Petavius in animadverſionibus ad hæreſin 46. Epiphanii colligit, Marcionis hæreſin non demum Antonino imperante, ſed ſub Hadriano cœpiſſe, ita quidem ut ſub Hadriano primum eruperit, poſtea vero ſub Antonino longe lateque propagata celebre ſibi nomen pepererit. Quam ſententiam Antonius quoque Pagi in ſua Critica ad annales Baronii ſequitur, cum etiam in aliis hæreſibus earum tempora utplurimum diſtinguenda & ſæpe diverſa initia illis aſſignanda ſint. hæreſ. 41. hæreſ. 45. p. 83. A. C. 144. II. III. p. 44.

VI. Obviam ſibi Romæ facto Marcioni & dicenti: *cognoſce nos Polycarpe:* Sanctiſſimus Martyr reſpondit: *cognoſco primogenitum Satanæ.* Et hiç Polyçarpi cum Marcione congreſſus ſub

Aniceti Pontificatu contigit, de quo Irenæus *lib. 3. c. 3.* Euſebius *lib. 4. c. 14.* Hieronymus *in catalogo Scriptorum c. 17.* Svidas *ſub voce Polycarpi*, Nicephorus *lib. 3. c. 30.* Autor Chronici Alexandrini
(*Pag.* 138) *p. 602.* & alii videantur. E quibus nonnulli verba Marcionis ad Polycarpum: ἐπιγίνωσκε ἡμᾶς, per interrogationem legunt:
p. 68. ἐπιγινώσκεις ἡμᾶς; *cognoſcis nos*? Obſervat autem Valeſius in notis ad Euſebium, ἐπιγινώσκειν hic idem eſſe ac ſalutare, quo ſenſu & Paulus in priori ad Corinthios epiſtola ſub finem dixerit: ἐπιγινώσκετε αὐτοὺς i. e. *ſalutate illos.* Adducit quoque ritum veterem Diaconorum, qui ad ſacram menſam accedentibus acclamare ſolebant: ἐπιγινώσκετε ἀλλήλους, ne quis ſcilicet profanus ad ſacram menſam accederet. Tota itaque congreſſus illius inter Marcionem & Polycarpum ratio hæc fuit: Marcion, ut Petri
Not. ad vit. Polycarp. p. 378. Halloixii verbis utamur, aliquot comitatus diſcipulis Romam obambulans veniebat, hinc contra Polycarpus cum ſuis ſed humilis ac modeſtus, nulliuſque niſi hæreſiarcharum, & eorum, qui contemnerent vias Domini, contemptor. Iſte ergo ut natu minor Polycarpum ſenio feſſum & maximæ autoritatis virum, ſive ejus ſanctitatis conſcius & reverens, ſive accipiendæ à tanto viro reſalutationis cupidus eum prior ſalutavit, Polycarpus autem honorare hæreſiarcham dedignatus præterivit irreſalutatum, tum ille deſpectum ſeſe ſentiens, *cognoſce nos*, inquit, *Polycarpe*: hic autem, cum ſuis relinquere vellet exemplum fugiendarum ejusmodi peſtium, *cognoſco te*, inquit, *Primogenitum Satanæ*, ſicque pertranſivit. Nam ſi Marcionis aliquem tunc reſpectum habuiſſet, aut cum eo colloquium vel breve miſcuiſſet, tum iſte fortaſſe ſub umbra illius cum tanto viro congreſſus (nimirum quaſi eadem ipſe cum Polycarpo ſentiret) plures decepiſſet. Jam vero evulgata de Marcione rigida Polycarpi ſententia multi ab eodem Marcione decepti reſipuerunt. Hactenus Halloixius.

(*Pag.* 139.) VI. Tantum verò fidei catholicæ calorem in Marcione primitus fuiſſe narrat Tertullianus *lib. 4. adv. Marcionem cap. 4.* ut & pecuniam ſuam eccleſiæ inferret, quæ poſtea, cum in hæreſin defeciſſet, una cum ipſo projecta fuit. Et hanc Marcionis

cionis ab eccleſia ſegregationem ſub Eleutheri Pontificatu factam idem Tertullianus *in lib. de præſcriptionibus adv. hæreticos cap. 30.* aſſerit, ubi etiam Marcionem, dum ſuæ cum eccleſia reconciliationi jam intentus eſſet, morte præventum commemorat. Quæ autem de muliere Romam à Marcione eum in finem præmiſſa, ut decipiendos animos ſibi præpararet, apud Hieronymum *in epiſt. ad Cteſiphont.* memorantur, fortaſſe non ad Marcionem, ſed ad Carpocratem ſpectant ejusque Marcellinam, quam Hieronymus, cum iſta ſcriberet, memoriæ quodam lapſu pro Marcionis ſocia habere potuit.

VII. Marcionem hunc Ponticum cum Pontico mure comparat Tertullianus, quia Evangelia corroſit. Solum enim Lucæ Evangelium idque mutilatum & interpolatum recepit, teſtantibus Irenæo *lib. 1. cap. 29.* & Origene *in Philocalia cap. 5.* Quæ abſtulerit ex Evangelio Lucæ, aut in eodem depravaverit, enarrat Epiphanius *hæreſ. 42. ſect. II.* Quod autem Tertullianus *lib. 4. adv. Marcion. c. 7.* ait, abraſa à Marcione ex Evangelio verba Chriſti: *veni, non ut legem & Prophetas diſſolverem, ſed potius ut implerem*; item illa verba Chriſti: *non ſum miſſus, niſi ad perditas oves Iſraëlis*, ex eo Richardus Simonius colligit, ipſum quoque Tertullianus non habuiſſe exactum aliquod exemplar Lucæ, cum uterque ille locus non apud Lucam, ſed apud Matthæum legatur, cujus Evangelium Marcion plane non recepit. Et quantum ad priorem Matthæi locum attinet, qui ex Matthæi V, 17. depromtus eſt, addere potuiſſet Simonius Iſidorum Peluſiotam, qui aſſerit, Marcionitas non ſolum genealogiam, quæ ab Abrahamo & Davide ad Chriſtum delabitur, reſecuiſſe, ſed etiam verba illa Chriſti: *non veni ad deſtruendum legem & Prophetas*, hoc modo corrupiſſe: τί δοκεῖτε, ὅτι ἦλθεν πληρῶσαι τὸν νόμον καὶ τοὺς προφήτας; ἦλθον καταλῦσαι ἀλλ' οὐ πληρῶσαι, *quid putatis, quod venerim, ut legem & Prophetas adimplerem? veni ut diſſolverem, non ut implerem.*

lib. 1 adv. Marc cap. 1.

hiſtor. critic. N.T. c. 12. p. 128.

(Pag. 140.)

lib. 1. epiſt. 371

VIII. Paulinas epiſtolas nec omnes nec integras Marcion

recepit, ut teſtantur Irenæus *l. 1. c. 29.* & Epiphanius *hæreſ. 42. p. 317. & ſequentibus*, ubi varias Paulinarum epiſtolarum corruptelas à Marcione ejuſque aſſeclis factas enumerat. Et epiſtolæ quidem ad Philemonem ſuam brevitatem profuiſſe, ut falſarias Marcionis manus evaderet, ſcribit Tertullianus, etſi contra Epiphanius,

lib. 5. adv. Marcion. c. 21.

cum epiſtolas Paulinas à Marcione turpiter depravatas probat, ſe ex epiſtola ad Philemonem nihil adduxiſſe ſcribat, *διὰ τὸ ὁλοσχερῶς ἀυτὴν διαςρόφως παῤ ἀυτῷ κεῖθαι*, h. e. quod apud illum plane depravata legatur. Ex epiſtolis Paulinis, quas plane reſpuit Marcion, fuit epiſtola ad Titum, ut Hieronymus *in præfatione ſui ad hanc epiſtolam commentarii* teſtatur. Huic utramque ad Timotheum adjungit Lupus *in notis ad Tertullianum de præſcript. p. 327.* & ad Clementem Alexandrinum provocat. Verum Clemens Alexandrinus, etſi *lib. 2. Strom. p. 280.* utramque ad Timotheum epiſtolam ab hæreticis rejectam aſſerat, à Marcionitis tamen id factum eſſe non expreſſe ſcripſit. Interim ex Tertullia-

(*Pag. 141.*) ni *lib. 5. adv. Marcionem c. 20*, conſtat, Marcionem epiſtolas ad Timotheum & Titum recuſaſſe. Erravit ergo Philaſtrius, cum *in libro de hæreſ. c. 45.* ſolas Pauli ad Timotheum & Titum epiſtolas à Marcione receptas aſſerit. Quod ſi Cerdon Marcionis Magiſter Acta quoque Apoſtolorum & Apocalypſin repudiavit, ut Autor Appendicis ad Tertullianum de præſcript. *c. 51.* memoriæ prodidit, haud improbabiliter ſtatuetur, etiam Marcionem parum autoritatis illis tribuiſſe. Nec melius habuit epiſtolam ad Hebræos, & epiſtolas quæ catholicæ vocantur, ut colligi poteſt ex Epiphanii hæreſi 42. c. 9. idque de epiſtola ad Hebræos eo minus mirandum, cum in ea epiſtola haud pauca veteris teſtamenti loca allegentur, quod integrum Marcion averſatus eſt, ſiquidem Chriſtum adventu ſuo legem & Prophetas ceu mali Dei opera ſolviſſe ſtatuit, ut referunt Irenæus *lib. 1. c. 29.* Epiphanius *hæreſ. 42. ſect. 4.* Theodoretus *lib. 1. cap. 24.*

IX. DUOS enim Deos Marcion fingebat, unum malum à lege & Prophetis annunciatum, cui etiam mundi creationem tribuit, alterum bonum. Quam ſententiam perſtringens Tertullianus duos illos Deos duas naufragii Marcionitici ſymplegadas

das appellat, & ob hunc ipſum errorem Marcionitæ à Prudentio in præfatione hamartigeniæ DUITÆ appellantur, cum ita canit:

> Marcion arvi forma corruptiſſimi
> Docet *Duitas* diſcrepare à Spiritu,
> Contaminatæ dona carnis offerens,

& paulo poſt:

> Hic ſe caduco dedicans myſterio
> Summam profanus dividit ſubſtantiam,
> Malum bonumque ceu duorum ſeparans
> Regnum Deorum, ſceptra committit duo,
> Deum eſſe credens, quem fatetur peſſimum. (*Pag.142.*)

Quem errorem poſtea in ipſo opere de hamartigenia prolixius refutat. Ad illam autem Duitarum vocem Stephanus Chamillard, qui in uſum Delphini Prudentii opera nuper edidit, iſta commentatur: *Poëta ut novam & horrendam hæreſin adducat in contemptum, inſolens fingit verbum, proprium tamen & ſignificans. Atque ut Tritheitæ dicuntur, qui tres Deos eſſe docent, ita & Duitæ, qui duos Deos agnoſcunt.* Quæ ſaniora ſunt quam quæ Dn. du Cange in gloſſario mediæ & infimæ latinitatis ad iſtum Prudentii locum notavit: DUITAS, *duplicitas, utitur Prudentius in hamartigenia,* Quaſi non Duitarum ſed Duitatis vocabulum Prudentius uſurpaſſet. P.194. Tom.I. p.204.

X. Inter veteres, qui errorem iſtum Marcionis tangunt, occurrit Juſtinus. Is enim in apologia, quæ vulgo ſecunda dicitur, ſcribit, quod Marcion Ponticus ſectatores ſuos doceat ἄλλον τινὰ νομίζειν μείζονα τοῦ Δημιουργοῦ Θεόν, *alium quendam opifice majorem Deum opinari.* Et iterum in eadem apologia ſcribit, quod Marcion præter Creatorem univerſum Deum alium neſcio quem adnunciet. Audiamus & Cyprianum in epiſtola ad Pompejum de Marcione ita diſſerentem: [Cerdonem] *Marcion ſecutus* P.70. p. 92. epiſt 74. in Pamel. & Oxon. edit.

*cutus additis ad crimen augmentis, impudentius cæteris & abruptius in Deum Patrem creatorem blaſphemare inſtituit, & hæreticum furorem ſacrilegis armis contra eccleſiam rebellantem ſceleratius & gravius armavit.* Prolixius agunt de hoc Marcionis errore Irenæus *lib.* 1. *c.* 29. Tertullianus *lib.* 1. *contra Marcion c.* 2. quibus jungendi præter alios Hieronymus *in epiſtol.* 151. *ad Algaſiam qv.* 7. Philaſtrius *c.* 45. *de hæreſ.* & antiquus Autor, cui libros 5. contra Marcionem carminicè ſcriptos debemus, ſive is Tertullianus ſive alius quis fuerit, libro 5. de Marcione ita canens:

(*Pag.* 143.)

*Prædicat hic duos eſſe Patres, diviſaque regna,*
*Eſſe mali cauſam Dominum, qui condidit orbem,*
*Quique figuravit carnem ſpiramine vivam,*
*Quique dedit legem & vatum qui voce locutus.*
*Hunc negat eſſe bonum, juſtum tamen eſſe fatetur,*
*Crudelem, durum, belli cui ſæva voluptas,*
*Judicio horrendum precibus manſueſcere nullis.*
*Eſſe alium ſuadet, nulli qui cognitus unquam,*
*Qui non eſt usquam, falſum ſine nomine Numen,*
*Conſtituens nihil & nulla præcepta locutus,*
*Hunc ait eſſe bonum, nullum qui judicat, æque*
*Sed ſpargit vitam cunctis, non invidet ulli.*

XI. Equidem apud Origenem *in dialogo de recta in Deum fide ſect.* 1. *p.* 3. Megethius Marcionita tria principia ſtatuit, nempe Deum Patrem Chriſti, qui ſit bonus & præſit Chriſtianis, & alium Conditorem, qui præſit Judæis, & ab his diverſum, qui ſit malus, & præſit ethnicis. Cui ſententiæ favent Epiphanius, qui *hæreſ.* 42. *ſect.* 3. Marcionem ad duo Cerdonis principia tertium adjeciſſe ſcribit, Cyrillus Hieroſolymitanus *catech.* 16. qui Marcionem primum tres Deos aſſeruiſſe ſcribit, Athanaſius, qui *in decretis Synodi Nicenæ contra Arianos* per Marcionis doctrinam in tres principatus divinam Monarchiam diviſam eſſe pronunciat. Da-

P. 178. Tom. I. p 412. edit, Commel.

ma-

maſcenus *hæreſ. 42.* Abul Pharajus *in hiſtoria Dynaſtiarum p. 77.* qui Marcionis dogma ita exprimit, quod docuerit tres eſſe Deos, Æquum, Bonum, & Malum, & ex his Æquum in Malo ſeu materia opera ſua exercuiſſe, atque ex eo mundum condidiſſe, Bonum vero, cum vidiſſet mundum in Mali partem trahi, Filium ſuum miſiſſe, ut homines ad cultum ſui Patris invitaret &c. Quibus & Balſamon *in ſcholiis ad Canonem 95. Concilii 6. in Trullo habiti* accedit. Verum, ſi Rhodonem audiamus. ipſe quidem Marcion duo principia docuit, ex Marcionitis autem aliqui unum, aliqui duo, aliqui tria principia ſtatuerunt, quorum Princeps fuit Syneros, ut ex Rhodone notavit Euſebius *lib. 5. c. 13.* Unde etiam Epiphanium corrigunt Auguſtinus & Autor Prædeſtinati *hær. 22.* Quod ſi Theodoretum *lib. 1. de hær. fab. c. 24.* audiamus, quatuor ingenitas ſubſtantias Marcion aſſeruit, & adeo quidem creaturas tanquam mali Dei opera Marcionitæ averſati ſunt, ut nonagenarium ſenem ſe noviſſe Theodoretus dicat, qui ſputi excrementis faciem lavabat, ne aqua uti cogeretur, atque idem ille ſenex ſe cibo, potu aliiſque creaturis ex neceſſitate uti dixit, cum aliter vivere non poſſit, hoc ipſo confeſſus, ſe bonis Creatoris frui, eumque Deum, quem à Creatore Marcionitæ diſtingvunt, nihil habere, quo homines vitam ſuam ſuſtentare poſſint. (*Pag. 144.*)

XII. Marcionem non minus ac Valentinum triginta æones coluiſſe, ob eamque cauſam numerum tricenarium magni feciſſe, teſtis eſt Nazianzenus *in orat. 44. in feſtum Penteceſtes,* & Nicetas *in h. l. p. 719. & 720.* nec non Elias Cretenſis *in notis ad 6. orationem de Spiritu ſancto p. 178.* Et quamvis Larroquanis *in obſervatiotionibus ad Ignatianas Pearſonii vindicias p. 196. & ſeqv.* tam Scholiaſtas Nazianzeni quam ipſum Gregorium aliquid humani paſſos aſſerat, aliter tamen videtur Georgio Bullo *in defenſione fidei Nicenæ ſect. 3. c. 1. p. 300. & ſeqv.* Cæterum quod Nazianzenus *in orat. 1. adv. Arianos p. 330.* fugere jubet Marcionis Deum ex elementis & numeris conflatum, id Marco potius Valentiniano quam Marcioni competere videtur, cui ejuſmodi Deum ex numeris & elementis conflatum tribuunt. Irenæus *lib. 1. c. 10. ſeqv.* & Autor append. ad Tertullianum de præſcript. *c. 50.* Quamobrem in prædicto (*Pag. 145.*)

dicto Nazianzeni loco pro Marcione Marci forte nomen reponendum eſt.

XIII. De Chriſto Marcion docuit, quod neque vere natus, neque vere paſſus fuerit, cum umbram potius & phantaſma humani corporis quam verum corpus habuerit, ut teſtantur Theodoretus *lib.* 1. *c.* 14. Philaſtrius *c.* 45. & ante hos Tertullianus *lib.* 3. *adv. Marcionem c.* 8. cujus verba audire juvat: *deſinat nunc hæreticus à Judæo, aſpis, quod ajunt, à vipera mutuari venenum, evomat jam hinc proprii ingenii virus, phantaſma vindicans Chriſtum. Niſi quod & iſta ſententia alios habebit Autores præcoquos & abortivos quodammodo Marcionitas, quos Apoſtolus Johannes Antichriſtos pronunciavit, negantes Chriſtum in carne veniſſe, & tamen non ut alterius Dei jus conſtituerent, quia & de iſto notati fuiſſent, ſed quoniam incredibile præſumpſerant Deum carnem, quo magis Antichriſtus Marcion ſibi eam rapuit præſumptionem, aptior ſcilicet ad renuendam corporalem ſubſtantiam Chriſti, qui ipſum DEUM ejus nec Autorem carnis induxerat, nec reſuſcitatorem, optimum videlicet & in iſto diverſiſſimum à mendaciis & fallaciis Creatoris. Et ideo Chriſtus ejus, ne mentiretur, ne falleret, & hoc modo Creatoris forſan deputaretur, non erat quod videbatur, & quod non erat mentiebatur, caro nec caro,* (*Pag.* 146.) *homo nec homo: proinde Deus Chriſtus nec Deus. Cur enim non etiam Dei phantaſma portaverit? &c.* In quibus verbis indicat, cur veram carnem Chriſto Marcion tribuere noluerit, nempe quia carnem mali DEI opus & Chriſtum Boni DEI Filium aſſerebat. Innuit vero etiam Tertullianus non primum fuiſſe Marcionem, qui Chriſti corpus phantaſma fuiſſe diceret, ſed jam Johannis ætate fuiſſe, qui Chriſtum in carne fuiſſe negarent. Quam periculoſus autem error ille ſit, in ſequentibus oſtendit, ubi inter alia: *everſum eſt totum Dei opus, totum Chriſtiani nominis pondus &c.* Quod autem Gennadius *de dogma-*

*dogmatibus eccleſ. c. 2.* & Vigilius *ſub initium libri 3. adv. Eutychen* Marcioni tribuunt, quaſi docuerit Chriſtum corpus ſuum è cœlo in uterum Mariæ attuliſſe, id Valentino potius competit. Dicebant autem Marcionitæ, ut & hoc addamus, eam ipſam ob cauſam Chriſtum Matrem ſuam negaſſe, ne ex ipſius ſubſtantia natus videretur, ut indicat Hieronymus in cap. 12. Matthæi. Atque hinc facile colligere licet, quales hæreticos innuat Ambroſius, cum in expoſit. Evangel. Lucæ lib. 6. ad verba Chriſti: *mater & fratres mei hi ſunt, qui verbum DEI audiunt & faciunt*: iſta notat: *ergo hic non, ut hæretici quidam tendiculas aucupantur, mater negatur, quæ de cruce etiam agnoſcitur, ſed neceſſitudini corporali præſcriptorum cœleſtium forma præfertur.* Tom. I. Operum Ambr. edit. Pariſ. 1686 p. 1391.

XIV. Qui duplicem Deum finxerat Marcion, duplicem quoque Chriſtum ſtatuit. Sic enim Optatus Milevitanus: *Marcion, qui ex Epiſcopo apoſtata factus, inducebat duos Deos & duos Chriſtos.* lib. 4. adv. Parm. p. 91. Eundem errorem tangit Juſtinus Martyr *in apol. 2. p. 92.* & imprimis Tertullianus, qui Marcionis de duplici Chriſto ſententiam apertius exponit, cum ait: *conſtituit Marcion alium eſſe Chriſtum, qui Tiberianis temporibus à Deo quondam ignoto revelatus ſit in ſalutem omnium gentium: alium, qui à Deo creatore in reſtitutionem Judaici ſtatus ſit deſtinatus quandoque venturus &c.* (Pag. 147.) lib. 4. ad Marc. b. 6.

XV. Conjugium & liberorum procreationem impugnaſſe Marcionem, contra vero continentiam & virginitatem prædicaſſe; produnt Clemens Alexandrinus *Stromat. lib. 3. p. 314. 315. 318.* & Tertullianus *lib. 1. contra Marcionem c. 29. 30.* ubi inter alia Marcionem cum Pharaone comparat, quum Pharao animas ademerit, Marcion non dederit, ille de vita abſtulerit, hic non admiſerit in vitam, ille editos interfecerit, hic edendos. Porro quod Cainum, Sodomitas, Ægyptios impioſque gentiles à Domino ad inferos deſcendente ſalvatos, Abelem vero, Eno-

chum, Noam & alios juſtos in inferno relictos Marcion pronunciaverit, autor eſt Irenæus *libr. 1. adv. hæreſ. c. 29.* quem ſequuntur Epiphanius *hæreſ. 42. Sect. 4.* Theodoretus *lib. 1. c. 24. hæretic. fabul.*

XVI. Iidem Autores teſtantur, quod Marcion carnis reſurrectionem negaverit. Quem errorem Tertullianus *libr. 1. adv. Marcionem* ſalutis dimidiationem appellat, cum animæ tantum ſalutem tribuerit. Unde & Hieronymus, ut ipſe in epiſt. 61. c. 14. memorat, aliquando nonneminem de Marcionis Schola audivit dicentem: *væ illi, qui in hac carne & in his oſſibus reſurrexerit.* Sic enim verba Hieronymi leguntur *in edit. Baſil. tom. 3. fol. 81. & Antverp. tom. 2. p. 122.* Videtur tamen ibi potius legendum: *Væ illi, qui in hac carne non reſurrexerit.* Solebant enim (*Pag.* 148.) ſæpe veteres hæretici orthodoxos decipere, quaſi & ipſi carnis reſurrectionem crederent, væ, inquientes, qui in hac carne non reſurrexerit, ut obſervavit Tertullianus in libro de reſurrect. c. 19.

XVII. Quomodo Marcionitæ vivos ſub lecto occultatos pro mortuis baptizaverint, referunt Chryſoſtomus & Theophylactus *ad 1. Cor. 15.* & Conſtantinus Harmenopulus *in lib. de ſectis cap. 12.* Hunc vivorum pro mortuis baptiſmum apud Marcionitas viguiſſe veriſimile non videtur Benedicto Juſtiniano *in commentario ad epiſtolas Paulinas*, cum Irenæus aliique veteres Scriptores, qui Marcionis ætatem propius attigerunt, ejus rei non meminerint, & præterea Marcionitæ reſurrectionem negaverint, unde ſatis conſtet, verba Pauli ad eos minime pertinere. Et facile quidem largior, Apoſtolum ad Marcionitas eo loco nullum reſpectum habuiſſe, cum eo tempore ne nomen quidem Marcionis cuiquam cognitum fuerit, quæri tamen poteſt, an nullus veterum ante Chryſoſtomum baptiſmum vivorum pro mortuis Marcionitis tribuerit? Chamier *in panſtratia catholica tom. 3. lib. 26. c. 19. n. 2.* dicit etiam Tertullianum in libro de reſurrectione carnis *c. 48.* baptiſmum pro mortuis Marcionitis tribuiſſe. Verum etſi ibi baptiſmi pro mortuis Tertullianus memi-

Digitized by Google

meminerit, de Marcione tamen tacet. Rectius, judice Sebaſtiano Schmidio, Præceptore quondam meo fideliſſimo, allegare potuiſſet libri 4. contra Marcionem c. 11. ubi de Deo Marcionis dicit, quod neminem tinxerit niſi cælibem aut ſpadonem, & quod baptiſmum morti vel repudio ſervet. E quibus verbis colligi poteſt, quod Marcion neminem conjugatum baptizaverit, niſi matrimonium vel per mortem vel per repudium ſolutum fuiſſet. (Pag. 149.) Utri vero conjugum vinculo matrimonii per mortem ſoluto baptiſmum contulerit, num mortuo, quod probabilius venerando Schmidio videtur, an ſuperſtiti, incertum eſt. Mihi poſterius magis veriſimile videtur, quod ex locis parallelis quodammodo demonſtrari poteſt. Sic enim Tertullianus lib. 1. adv. Marcion. cap. 29. *non tingitur apud illum caro niſi virgo, niſi vidua, niſi calebs, niſi divortio baptiſmum mercata.*

XVIII. Cur vero Marcion baptiſmum bis terve iterandum apud ſuos docuerit, exponit Epiphanius *hæreſ. 42. Sect. 3.* & ex eo Voſſius *diſſ. 17. de baptiſmo theſi. 18.* Neque tamen orthodoxi illorum baptiſmum, ſi vel centies iteraſſent, pro primo & valido habebant, unde Theodoretus ſcribit, quod decem millia Marcionitarum ad fidem adduxerit & baptizaverit. (epiſt. 145.) Ex quo Natalis Alexander colligit, Marcionitas baptiſmum non eo quo Chriſtus inſtituit modo peregiſſe. (Sec. 2. part. I. p. 20.) Sane Auguſtinus Marcionis baptiſmum ſe pro integro Sacramento habiturum pronunciat, ſi Evangelicis verbis in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti conferretur. (l. 3. de bapt. contra Donatiſt. c. 15.) Quodſi Marcion baptiſmum alio, quam Chriſtus inſtituit, modo adminiſtravit, probandum non eſt quod Stephanus Epiſcopus Romanus Marcionis baptiſmum ratum habuit, quo nomine ipſi ſuccenſet Cyprianus conquerens Stephani obſtinationem in tantum prorupiſſe, ut etiam de Marcionis baptiſmo & aliorum blaſphemantium Deum Patrem filios Dei naſci contenderet. (epiſt. 74 ad Pompej.) Cum enim Cyprianus nullam omnino hæreſin, ſed neque aliquod ſchiſma ſalutaris baptiſmi ſanctificationem habere, ſibi perſuaſiſſet, longe gravius ferebat, etiam Marcionis baptiſmum ab Epiſcopo Romano pro legitimo haberi. (Pag. 150.)

XIX. Marcionem cum Magiſtro ſuo Cerdone inter eos refert Huetius, qui poſt Pythagoreos, Platonicos & Stoicos animam divinæ auræ particulam & ex ipſa Dei ſubſtantia expreſſam ſtatuerunt. Et Stephanus Le Moyne Marcionitas multa alia figmenta hoc novo delirio cumulaſſe tradit, quod ſtatuerint, animas rationales eſſe ἀποῤῥοίας & emanationes ab ipſa ſubſtantia Divina, ejuſdem cum DEO naturæ illique cöeſſentiales, quæ poſt hominis interitum ad principium ſuum & fontem reverterentur, & in oceano eſſentiæ Divinæ iterum cum ea confunderentur. Et hunc errorem refutatum dicit ab Origene in commentario ad cap. 37. Jobi, ubi aliquid Deo ὁμοούσιον dari inficiatur. Reprehendit ibidem Genebrardum, qui pro ὁμοούσιον legi cupit ὁμοιούσιον, quaſi Origenes non negaſſet, dari aliquid Deo cöeſſentiale, ſed tantum animas hominum DEO prorſus ſimiles eſſe admittere noluerit, quod veriſimile Le Moynio non videtur, cum Marcionitæ non tantum animas divinæ naturæ ſimiles dixerint, ſed ejuſdem plane eſſentiæ & ſubſtantiæ, ſiquidem putaverint, animas eſſe quaſi ſcintillas, radios & partes ſolis æterni, quæ ad corpora animanda, fovenda & conſervanda adhibeantur, & ex toto ad tempus ſeparentur, & tandem poſt corporis languores, exhauſtas vires & ruinam ad eſſentiam divinam tanquam centrum ſuum revertantur. Hæc ex Le Moynio de iſto Marcionitarum errore deſcribere volui. Ipſum enim Origenis in Jobum commentarium, in quo illud Marcionitarum delirium refutaſſe dicitur, ad manus non habeo, cum Merlinus & Eraſmus, cujus editione utor, tantum priorem Origenis in Jobum tractatum tribus libris diſtinctum inter Origenis opera vulgaverint, cui poſtea Gilbertus Genebrardus, cum denuo Origenis opera ederet, ſub finem tomi primi alterum iſtum Origenis in Jobum commentarium adjecit, à Joachimo Perionio Latine redditum. Interim hoc ſaltem notare juvat, à pluribus eruditis hunc Origenis commentarium pro ſpurio haberi, idque Huetius ex eo ipſo loco probat, in quo Autor ille nihil DEO ὁμοούσιον dari dicit. Exinde enim colligit, Autorem hujus commentarii fuiſſe aliquem Arianum, cum juxta Epiphanium non tam bituminis nidorem ſerpens fugiat, quam

Origenian. lib. 2. p. 92.

In variis ſacris tom. 2. p. 251.

(Pag. 151.)

Digitized by Google

quam Ariani vocem *ὁμοιοῖν*. Nec defuerunt qui Maximinum Arianorum Epiſcopum ab Auguſtino repreſſum illorum commentariorum autorem facerent, ut Labbeus obſervavit, qui tamen recte addit: *quis Afrum crediderit Græce ſcripſiſſe?* Tom. 2. de Script. eccl. p. 144.

XX. Animarum è corporibus in alia corpora tranſitum ſtatuiſſe Marcionitas, Autor eſt Epiphanius *hæreſ.* 42. *ſect.* 4. qui etiam id inter Marcionitarum errores refert, quod baptiſmum mulieribus permiſerint, quod ſabbatho jejunaverint, & myſteria ſua coram catechumenis celebraverint. Quæ facile illis condonari poſſent, ſi tantum in caſu neceſſitatis mulieribus baptiſmum indulſiſſent, & jejunia non ex odio Creatoris ſuſcepiſſent. Quantum autem aſtris tribuerint, hæc Tertulliani verba indicant: lib. 1. contr. Marcion. c. 18. *proceſſerit, age, jam in notitiam* (de ignoto Marcionis Deo loquitur) (Pag. 152.) *quando voluit, quando potuit, quando hora fatalis advenit. Fortaſſe enim anabibazon ei obſtabit, aut aliqua malefica, aut Saturnus quadratus, aut Mars trigonus. Nam & Mathematici plurimum Marcionitæ, nec hoc erubeſcentes de ipſis etiam ſtellis vivere Creatoris.* Videtur vero & Clemens Alexandrinus ad Marcionitas reſpicere, cum libro 4. Stromatum hæreticos quosdam notet, qui in martyrium præcipites ruebant. p. 511. Cum enim eos id feciſſe notat ex odio Creatoris, haud abſurde Baronius colligit, Marcionitas hic perſtringi. ad A. C. CCV. Tanto enim in Creatorem odio flagrabant, ut corpus quoque & alia ab eo creata deteſtarentur, iisque tanquam à malo principio venientibus carere poſſe optarent. Quantum vero Marcionitarum adverſus Creatorem odium fuerit, ex eo quoque apparet, quod ſerpentem Creatore meliorem dicere haud veriti fuerint, cum Creator de arbore cognitionis edere vetuerit, ſerpens autem ad comedendos illius arboris fructus hortatus fuerit. Refert hoc Theodoretus, & addit, nonnullos eorum ſerpentem hoc nomine venerari, & ſemetipſum apud illos ſerpentem æneum inveniſſe in arcula quadam cum execrandis eorum myſteriis reconditum.



Digitized by Google

XXI. Hos alioſque errores Marcion non voce ſolum ſed & ſcriptis propagavit. Scripſit enim aliquod volumen, quod *Antitheſium* titulo ſignavit. Cujus operis mentionem Tertullianus in libris contra Marcionem paſſim facit. Unicum tantum locum adducere placet, qui ſub initium libri 4. adverſus Marcionem extat. Ibi enim Tertullianus, cum ſe omnem paraturam impii atque ſacrilegi Marcionis ad ipſum ejus Evangelium provocare
(*Pag.153*) dixiſſet, hæc ſubjicit: *& ut fidem inſtrueret, dotem quandam commentatus eſt illi, opus ex contrarietatum oppoſitionibus Antitheſes cognominatum, & ad ſeparationem Legis & Evangelii coactum &c.* Per Marcionis autem Evangelium non aliud Tertullianus intelligit, quam Evangelium Lucæ, quod Marcion fœde corrumpendo & interpolando ſuum fecit, etſi nullum illi adſcripſerit Autorem, *quaſi non licuerit illi titulum quoque affingere, cui nefas non fuit ipſum corpus evertere*, ut Tertulliani ver-
lib. 1. contr. Marcion. c. 2. ba noſtra faciamus. Syntagmati huic evangelico aliud quoque Marcion addidit ex epiſtolis Paulinis corruptis & interpolatis conſarçinatum, quod Apoſtolicum dictum fuiſſe Epiphanius obſervat. Conferantur quæ ſupra de S. Scripturis à Marcione de-
theſ. 7. & 8. pravatis obſervata ſunt, & quæ de ſcriptis Marcionis notavit Pamelius in notis ad lib. 1. contr. Marcion. c. 1. ubi etiam de Marcionis epiſtola & literis, quarum apud Tertullianum mentio.

XXII. Ad ſcriptum, quod Apoſtolicum Marcion inſignivit, reſpicit dubio procul Hieronymus, cum in commentario epiſtolæ
Gal. 1. 1. ad Galatas ad verba: *& per Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum à mortuis*, ita commentatur: *ſciendum quoque in Marcionis apoſtolo non eſſe ſcriptum:* & per Deum Patrem, *volentis exponere, Chriſtum non à Deo Patre ſed per ſemetipſum ſuſcitatum.*
p. 81. Quæ Hieronymi verba Sandius in nucleo hiſtoriæ eccleſiaſticæ eum in finem allegat, ut orthodoxis docentibus, quod Chriſtus ſemetipſum à mortuis excitaverit, à Marcionitarum conſenſu invidiam faciat. Verum non id in Marcione reprehendit Hieronymus, quod Chriſtum à ſemetipſo ſuſcitatum dixerit, ſed quod

quod à Patre reſuſcitatum negaverit, ejusque rei gratia textum apoſtolicum corruperit. Et qualem Chriſti reſuſcitationem Marcion crediderit, ex eo colligere licet, quod Chriſtum vere paſſum & vere mortuum negaverit, ut ſupra vidimus, (*Pag.* 154.)

XXIII. Hæreſiarchæ huic deterrimo ejusque diſcipulis haud pauci eccleſiæ Doctores ſe oppoſuerunt, in quorum numero Polycarpus, de quo jam ſupra dictum eſt, neque hic tacendi Juſtinus Martyr, quem adverſus Marcionem ſcripſiſſe ex Euſebio *lib. 4. c. 18. Hiſtor. eccleſ.* & Hieronymo *de Scriptor. eccleſ. c. 23.* cognoſcere licet, Irenæus, qui in libris adverſus hæreſes imprimis vero libro 3. & 4. Marcionitarum hæreſin ſtrenue impugnat, & Tertullianus in libris 5. adverſus Marcionem, & in poëmate contra Marcionem totidem libris conſtante, de quo tamen, num Tertullianum Autorem habeat, dubitari poſſit. Fuit quoque inter Marcionis Adverſarios, Theophilus Antiochenus, cujus librum contra Marcionem intercidiſſe conſtat, quem tamen Dannhauerus, ſi Caveo credere velimus, craſſo ſatis errore adhuc extare ſcripſit. (Hiſtor. literar. p. 43.) Nollem Clariſſimo Viro duriora illa in B. Dannhauerum verba excidiſſe, qualibus etiam Bebelium impetit, cum eum de Quadrati ſcriptis agentem clauſis oculis ſpiſſum Magdeburgenſium errorem abſorpſiſſe arguit. (hiſtor. liter. p. 32.) Verum Dannhauerus Theophili adverſus Marcionis librum usque hodiè extare nusquam aſſeruit, ſed verba tantum Hieronymi, cujus ætate liber ille extabat, allegavit, & ipſum locum Hieronymi indicavit. En ejus verba: *Theophilus Antiochenus librum contra Marcionem compoſuit, qui usque hodiè extat. Feruntur ejus ad Autolycum tria volumina, & contra hæreſin Hermogenis liber unus, ita Hieronymus in Catalogo.* Erravit igitur hic ipſe Caveus, dum craſſum ſatis errorem Dannhauero impegit. De Bebelio alius erit dicendi locus. (*Pag.* 155.) Caveat ſibi interim Celeberrimus Caveus, ne ipſe, quod B. Bebelio exprobravit, ſpiſſos aliorum errores clauſis oculis abſorbeat. Sanè in Cerintho ex Hieronymi fide refert, Cerinthum ſubita balnei ruinâ oppreſſum, & in margine allegat Hieronymi (p. 23.) dia-

Digitized by Google

dialogum adverſus Luciferianos. Scio etiam Feuardentium in not. ad Irenæum libr. 3. c. 3. Hieronymum ejuſque adverſus Luciferianos dialogum ejus rei teſtem allegare. Verum qui Hieronymi dialogum adv. Luciferianos apertis oculis legerit, nihil de illa balnei ruinâ ibi deprehendet. Sed jam è diverticulo, quo nos amor in Venerand. Præceptores compulit, in viam ad Marcionis & Marcionitarum adverſarios redeamus, quos inter etiam numerandi Rhodan apud Euſebium l. 5. c. 13. Philippus Gortynenſis, Modeſtus, Bardeſanes, Clemens Alexandrinus, Hippolytus, Origenes, ut Sabbatium Gallicanæ cujusdam eccleſiæ Epiſcopum, qui à Secunda Chriſtiana quadam virgine rogatus, Gennadio teſte, librum de fide compoſuit, in quo non ſolum Eunomium & Aëtium, ſed Marcionem quoque & Valentinum refutavit, Theodoretum, qui ut ipſe ſcribit, octo vicos Marcionitarum hæreſi infectos cum vicinis locis ad veritatem perduxit, & decem millia Marcionitarum ad orthodoxam fidem perducta baptizavit, Epiphanium, qui & in panario Marcionitarum hæreſin refellit, & jam antequam panarium ſuum adverſus hæreſes ſcriberet, peculiarem adverſus Marcionitas diſputationem elaboraverat, quæ nunc ipſi panario inſerta legitur, Euſebium Emiſenum, quem inter Marcionitarum antagoniſtas Theodoretus numerat, Chryſoſtomum, cujus zelum adverſus Marcionitas Theodoretus *lib. 5. hiſtor. eccl. C.* 31. & Georgius *in vita Chryſoſtomi apud Photium in bibliotheca cod.* 96. commendant, Prudentium, qui in hamartigenia Marcionitarum de duplici Deo ſententiam refutat, & alios taceamus. Nec Imperatores Chriſtiani officio ſuo defuerunt, ſiquidem Conſtantinus M. ſeverioribus decretis Marcionitas æque ac Valentinianos alioſque hæreticos coërcuit, ut teſtantur Euſebius *lib. 3. de vita Conſt. M. c. 64. 65.* Caſſiodorus *in tripartit. lib. 3. c. 11. &c.*

de Sciptor. eccl c. 25.

epiſtol. 81. & 145.

hæret fabul. lib. 1 c 24.

(*Pag. 156.*)

CA.

# CAPUT VIII.

de

## Lucano, Apelle, & aliis quibusdam Marcionis diſcipulis.

I.

INter Marcionis diſcipulos fuit LUCANUS, quem ſub nomine λύκυ ſeu lupi Pontici à Rhodone apud Euſebium *libr. 5. c. 13. hiſtor. eccleſ.* intelligi exiſtimat Baronius. Verum Marcioni potius id cognomentum à Rhodone attributum fuiſſe, tom. 2. annal. A. C. 146. præcedentium verborum contextus indicat. Lucanus vero ille inter alia neque carnem neque animam ſed tertium quid reſurrecturum ſtatuit, ut Tertullianus *in libro de reſurrect. c. 2.* teſtatur. Conferantur præterea de Lucano Autor appendicis ad Tertullianum de præſcript. *c. 51.* Philaſtrius *de hæreſ. cap. 46.* Origenes *lib. 7. contr. Celſum.* Non Lucanum ſed Lucianum appellat Epiphanius *hæreſ. 43.* & Damaſcenus *in eadem hæreſi.* Quæ vero ex Irenæi libro 3. c. 3. & Hilarii libro 6. de Trinitate de hoc Luciano refert Prateolus *in elencho hæreſium p. 584.* vereor (*Pag. 157.*) ne in prædictis Autoribus fruſtra quærantur. Et tamen ea repetit Ludovicus de la Cerda in notis ad Tertullianum, ubi & Tom. 2. p. 128. plauſibilem eorum ſibi ſententiam videri aſſerit, qui Lucianum à Lucano diſtinguunt. Verum eos à veritatis via longe aberrare notat Cotelerius in notis ad Damaſcenum de hæreſibus. p. 772.

II. Nec incelebre fuit inter Marcionis diſcipulos APELLIS nomen, unde Apelliani, qui etiam Apellitæ, Apellejani

& Appelletiani, ut alias nominis hujus formationes taceam. vocari ſolent. Hic Apelles Lucani ſub communi Magiſtro Marcione condiſcipulus novam ſectam inſtituit, cum ob ſtuprum commiſſum Marcionis ſchola ejectus fuiſſet. Hinc Tertullianus *in libro de præſcript. c. 30.* de Apelle, *ſi & Apellis*, inquit, *ſtemma retractandum eſt, tam non vetus & ipſe, quam Marcion inſtitutor & præformator ejus. Sed lapſus in fœminam deſertor continentiæ Marcionenſis ab oculis ſanctiſſimi Magiſtri Alexand ſeceſſit.* Addit quod Apelles poſtea jam non amplius Marcionites in aliam fœminam impegerit, nempe in Philumenam virginem ſeu potius immane proſtibulum, cujus energemate circumventus, quas ab ea didicit phaneroſes ſcripſit. Cujus Philumenæ Tertullianus etiam jam antea his verbis meminerat: *providerat*
c. 6. *jam tunc Spiritus S. futurum in virgine quadam Philumena angelum ſeductionis, transfigurantem ſe in Angelum lucis, cujus ſignis & præſtigiis Apelles inductus novam hæreſin induxit.* Qui autem appendicem hæreſium huic Tertulliani libro attexuit, Apellem dicit privatas ſuas & extraordinarias lectiones habuiſſe, quas appellaverit phaneroſes Philumenæ puellæ cujusdam, quam tanquam Prophetiſſam ſecutus fuerit. Unde
(Pag. 158.) Auguſtinus memoria lapſus eſt, cum Philumenam hanc ejus-
de hæreſ. c. 23. que revelationes non Apelli ſed Severo tribuit, niſi forte librariorum vitio relatio illa de Philumena, quæ ad caput 23. proprie ſpectabat, ad caput proxime ſequens, quod de Severo agit, rejecta fuerit. Dicit autem Auguſtinus Severum Philumenam divinitus ad prænuncianda futura inſpiratam crediđiſſe, ad quam ſomnia atque æſtus animi ſui referens divinationibus ejus ſeu præſagiis ſecreto moneri ſolitus fuerit, eodem phantaſmate eidem Philumenæ pueri habitu ſe demonſtrante, qui puer apparens ſe aliquando Chriſtum aliquando Paulum aſſeruit. Addit eam quoque miracula nonnulla operari ſolitam, inter quæ illud præcipuum, quod in vitream ampullam anguſtiſſimi oris grandem panem immiſerit, eumque extremis digitulis levare ſolita fuerit.

III. Præ-

III. Præter phaneroſes Philumenæ habuit Apelles libros ſuos quos ſyllogismorum inſcripſit, in quibus probare conatus eſt, non vera ſed falſa eſſe, quæ Moſes de Deo ſcripſit, ut teſtatur Autor appendicis ad Tertullianum de præſcript. c. 51. Specimen objectionum, quas Apelles contra Moſis hiſtoriam formavit, exhibet Ambroſius in libro de Paradiſo, ubi nonnulla c. 5. & ſeqq. ex 38. Apellis tomo allegantur, unde colligere licet, quantæ molis opus hoc Apellis volumen fuerit. Inter alias objectiones Apellitarum ab Ambroſio memoratas hæ occurrunt; quomodo lignum vitæ plus ad vitam operari potuerit, quam inſufflatio Dei? Si hominem Deus non perfectum creavit, & quisque perfectionem ſuam virtute acquirere poteſt, num homo plus acquirere ſibi potuit, quam Deus illi contulit? quomodo morte Deus hominem terrere potuit, cum homo adhuc mortem neſciret, neque eam guſtaſſet? Non ſolum verò Moſis ſcripta & legem Apelles, ſed Prophetas etiam repudiavit, ut (Pag. 159.) Autor appendicis ad Tertullianum de præſcript. teſtatur. Unde & Origenes *lib. 5. contra Celſum* Apellem Judæorum literas pro c. 51. fabulis habuiſſe notat. De falſo autem Apellis evangelio Hieronymus in proœmio commentarii in Matthæum videatur, & de adulteratione librorum Sacræ Scripturæ, quam Apelles in libr. de adulteratione librorum Origen. tom. 1. Operum Origen. p. 881. cum aliis hæreticis communem habuit, Ruffinus, ſeu potius Origenes, cujus verba Ruffinus allegavit.

IV. Marcionis blaſphemiæ in multis conſentiens Apelles juxta Firmilianum in epiſtola ad Cyprianum Cyprianicis epiſtolis inſerta multa alia nova & graviora fidei & veritati inimica addidit. Docuit autem rationem fidei non ad examen vocari oportere, ſed unumquemque ut credit permanere debere, cum omnes in Chriſtum ſperantes ſalventur, dummodo bonis operibus vacent, ut ex ipſo Apellis ore audivit Rhodon, qui & illud addit, quod unicum tantum principium agnoverit, etiamſi nullam aſſertionis ſuæ rationem dare voluerit, imo & nullam ſe dare poſſe juraverit. In quo colloquio & illud Apelles aſſeruit, prophetias eo quod nihil omnino veri dicant, ſe ipſas refellere, cum ἀσύμφωνοι ſint & falſæ & ſibimet ipſis contrariæ

trariæ. Rhodon autem ille Apellis antagoniſta à Pſeudonymo Hieronymo in indiculo hæreſium corrupte Corodon dicitur.
c. 18. Sic enim ibi de Apelle legitur: *à Corodone Aſiani generis homine reprehenſus eſt.*

Tom. 1. Oper. Orig. p. 858. V. Sententiam Apellis de Deo Origenes apud Pamphilum in apologia pro Origene his verbis exprimit: *Sed & Apelles licet non omnibus modis Dei eſſe deneget legem & Prophetas, tamen & ipſe hæreticus deſignatur, quoniam Deum, qui hunc mundum condidit, ad gloriam alterius ingeniti & boni Dei eum conſtruxiſſe pronunciat, illum autem ingenitum Deum in conſummatione ſeculi miſiſſe Jeſum Chriſtum ad emendationem mundi rogatum ab eo Deo qui eum fecerat.* (Pag. 160.) de hæreſ. c. 23. Juxta Auguſtinum Apelles quidem duos Deos introduxit, unum bonum, alterum malum, neque tamen duo principia ſed unicum agnovit, Deum nempe bonum, à quo alterum nempe malum factum eſſe ſtatuit, qui cum malignus eſſet, in ſua malignitate mundum feciſſe inventus fuerit. hæreſ. 22. Similia habet Autor Prædeſtinati, & Zonaras, qui in canone acroſticho Mariam ſic alloquitur: apud Cotel. tom. 3. Græc. eccleſ. monument. p. 470. μίαν ἀρχὴν κηρύττει μὲν ὁ Ἀπελλῆς, ὦ παντάνασσα, ἕνα τε Θεὸν ὁμολογεῖ ἀνώτατον, τὸν ἕνα δὲ ἕτερον πεποιηκέναι αὖθις φησὶν, ὃν ὡς πονηρὸν δημιουργὸν γεγεννῆσθαι τοῦ κόσμου δογματίζει, πονηρὸς ὢν ἐκεῖνος, ἀχάριστόν τε κτίσμα πυρὸς ἄξιον μόνον i.e. *unicum principium prædicat quidem Apelles, ô Regina omnium, unumque ſupremum Deum, at rurſus ait, illum unum alterum creaſſe, quem & pravum mundi opificem fuiſſe conſtituit, cum ipſe pravus ſit, ingrataque creatura ſolo igne digna.* Theodoretus autem *lib. 1. hæret. fabul. c. 25.* ſcribit quod Apelles τοῖς ἀγεννήτοις Marcionis πύρινον ſeu igneum adjecerit. Et ignei illius Dei Tertullianus quoque meminit, cum in libro de præſcriptionibus ait:
c. 34. *facilius de Filio quam de Patre haſitabatur, donec Marcion præter Creatorem alium Deum ſolius bonitatis induceret: Apelles creatorem Angelum neſcio quem glorioſum ſuperioris*

Digitized by Google

*perioris Dei, faceret Deum legis & Iſraëlis, illum igneum affirmans.*

VI. De Chriſto docuit Apelles, quod ejus corpus in deſcenſu è cœlis ex ætherea & elementari materia compactum in aſcenſione ad ſua principia redierit, ut notarunt Autor appendicis ad Tertullianum de præſcript. *c. 51.* Philaſtrius *de hæreſ. c. 47.* Epiphanius *hæreſ. 44.* Auguſtinus *de hæreſ. c. 23.* Autor Prædeſtinati *hæreſ. 22.* & alii. Audiamus Tertullianum: *quidam diſcentes Pontici illius ſupra Magiſtrum ſapere compulſi concedunt Chriſto carnis veritatem, ſine præjudicio tamen renuendæ nativitatis. Habuerit, inquiunt, carnem, dum omnino non natam. Pervenimus igitur de calcaria, quod dici ſolet, in carbonariam, à Marcione ad Apellem, qui poſteaquam à diſciplina Marcionis in mulierem carne lapſus, dehinc in virginem Philumenam ſpiritu everſus eſt, ſolidum Chriſti corpus, ſed ſine nativitate ſuſcepit ab ea prædicare.* Idem Tertullianus alibi ſcribit, quod Philumena Apelli perſuaſerit, cæteriſque deſertoribus Marcionis, Chriſtum quidem circumtuliſſe carnem, nullius tamen nativitatis, utpote de elementis eam mutuatam.

(*Pag. 161.*) de carne Chriſti c 6. lib. 3. adv. Marc. c. 11.

VII. Quod carnis reſurrectionem Apelles negaverit, & ſolis animabus ſalutem tribuerit, indicat Autor appendicis ad Tertullianum de præſcript. *c. 51.* & Origenes apud Hieronymum in epiſtola 61. ad Pammachium de erroribus Johannis Hieroſolymitani dicit, hæreticos, & in his Apellem penitus & carnis & corporis reſurrectionem negare & ſalutem tribuere animæ, & orthodoxos reprehendere, quod fruſtra dicant, ſe ad exemplum Domini reſurrecturos, cum ipſe quoque Dominus in phantaſmate reſurrexerit. De anima autem quid ſtatuerit Apelles, exponit Tertullianus in libro de anima. *Apelles,* inquit, *ſollicitatas refert animas terrenis eſcis de ſupercœleſtibus ſedibus ab igneo Angelo*

c. 8. c. 23.

(Pag.162.) c. 36. *Deo Iſraëlis & noſtro, qui exinde illis peccatricem circumfinxerint carnem.* Et iterum: *Apellès non Pictor ſed hæreticus ante corpora conſtituens animas viriles ac muliebres, ſicut à Philumena didicit, utique carnem ut poſteriorem ab anima facit accipere ſexum.* Et hæc quidem de Apelle & Apellitis dixiſſe ſufficiat, quos Origenes ſua ætate tanto fervore impugnavit, ut eorum cauſa periodeutes fieret, & per ſingulas quaſque urbes Orientis eundo prædicaret, ut refert Autor Prædeſtinati c. 22.

VIII. Aliorum quorundam Marcionis diſcipulorum meminêre Rhodon apud Euſebium *lib. 5. c. 13.* & Theodoretus *lib. 1. hæret. fab. c. 25.* Nam apud Euſebium occurrunt SYNEROS, POTITUS & BASILICUS; apud Theodoretum PREPON, PITHON & BLASTUS. THEODOTION quoque unus ex antiquis Veteris Teſtamenti Interpretibus Græcis, antequam ad Judæos tranſiret, Marcionita fuit, ut refert Athanaſius in Synopſi S. Scripturæ, ut alios Marcionis aſſeclas taceamus. Tom. 2. edit. Commelin. p. 135.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT IX.

*de*

## Gnoſticis ſeu Gnoitis, Borboritis, Barbeliotis, Coddianis, Corpiano, Scorpiano, Phibionitis, &c.

I.

SUb Aniceti pontificatu, quo tempore Polycarpum cum Mar-
cione Romæ congreſſum ſupra diximus, GNOSTICOS ex (*Pag.*163)
Carpocratis & Marcellinæ diſciplina exortos eſſe tradit Epipha- hæreſ. 27, ſect.
nius. Alii vero eorundem originem altius arceſſunt. Cum 6.
enim Paulus Timotheum antitheſes τῆς ψευδωνύμου γνώσεως averſa- 1. Tim. VI. 20.
ri jubet, non deſunt, qui jam Pauli tempore Gnoſticorum hæreſin
cognitam fuiſſe putent, quod dubitanter facit Chryſoſtomus, homil 18. in 1.
cum ad h. l. fortaſſe jam tunc non nullos ſingularis cujusdam ep ad Timoth.
ſcientiæ opinione turgidos Gnoſticorum nomen ſibi arrogaſſe Tom. III. O-
ſcribit. Apertius Theodoretus ad illum Pauli locum obſervat, Si per. p 490.
monis diſcipulos id Gnoſticorum nomen ſibi tribuiſſe. Irenæ-
us autem etſi Simonianos Gnoſticorum nomen uſurpaſſe non lib. 1. c. 20.
expreſſe dicat, à Simonianis tamen falſi nominis ſcientiam initia
ſua accepiſſe ſcribit, & c. 33. à Simonianis multitudinem Gnoſtico-
rum exſurrexiſſe & velut è terra fungos prodiiſſe ſcribit. Ac E- hæreſ. 20. ſect.
piphanius Simonem Magum turpiſſima ſua myſteria pro perfe- 4.
ctiſſima cognitione venditaſſe memorat.

II. Si-

lib. 3 c 4. II. Simonis diſcipulus fuit Menander, à quo initia ſua traxiſſe Gnoſticos Irenæus his verbis indicat: *reliqui, qui vocantur Gnoſtici, à Menandro Simonis diſcipulo, quemadmodum oſtendimus, ſumentes initia unusquisque eorum cujus participatus eſt ſententiæ ejus & Pater & antiſtes apparuit.* E Menandri ſchola prodierunt Saturninus & Baſilides, quorum uterque inter Gnoſticorum majores referri ſolet. De Baſilide id teſtatur Hieronymus *in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum c. 21. & in epiſtol. ad Cteſiphontem adv. Pelag. c. 2.* de Saturnino vel Saturnilo pariter & Baſilide Irenæus *lib. 2. c. 56.* & Epiphanius *hæreſ. 27. ſect. 1.* Nicolaum quoque Gnoſticorum parentem faciunt Philaſtrius *hæreſ. 33* & pluresalii, è quibus Theophylactus ad 1. Tim. VI, 21. ita commentatur: (*Pag. 164.*) οἶμαι ταῦτα λέγειν τὸν Ἀπόστολον περὶ τῶν τότε λεγομένων Γνωστικῶν τῶν πάσης ἀκαθαρσίας πεπληρωμένων, διὸ καὶ βεβήλους ὠνόμασε κενοφωνίας. Τούτων δὲ τῆς αἱρέσεως προστάτης Νικόλαος, *opinor hæc Apoſtolum dicere de iis, qui tum nominabantur Gnoſtici, qui omni impuritate repleti erant, ideoque profanas nominavit vocum inanitates. Horum autem hæreſi præfuit Nicolaus.*

lib. 1. c. 24. III. Quæ vero de Gnoſticis ſub Aniceti pontificatu ex Carpocratis & Marcellinæ ſchola exortis, ſupra ex Epiphanio diximus, jam ante Epiphanium Irenæus aſſeruit. Et Euſebius quoque ex Irenæo Carpocratem ſectæ, quæ Gnoſticorum dicitur, conditorem fuiſſe memorat. (lib. 4. c. 7.) Unde etiam Hieronymus Gnoitam Carpocratem appellat in dialogo adv. Lucif. c. 8. At Clemens Alexandrinus non tam ab ipſo Carpocrate, quam Prodico, quem Carpocratis filio & paternæ impietatis hæredi & amplificatori Epiphani ſucceſſiſſe ſupra diximus, Gnoſticorum originem derivat. (lib. 3. Strom. p. 319. 320.) Sic enim verba ejus habent: ταῦτα καὶ οἱ ἀπὸ Προδίκου, ψευδωνύμως Γνωστικοὺς σφᾶς αὐτοὺς ἀναγορεύοντες, δογματίζουσιν, υἱοὺς μὲν φύσει τοῦ πρώτου θεοῦ λέγοντες αὐτούς, καταχρώμενοι δὲ τῇ εὐγενείᾳ καὶ τῇ ἐλευθερίᾳ, ζῶσιν ὡς βούλονται, βούλονται δὲ φιληδόνως &c. *talia autem ſtatuunt Prodici quoque aſſeclæ, qui ſe ipſos falſo nomine vocant Gnoſticos, ſeipſos quidem dicentes natura filios primi Dei, nobilitate autem & liber-*

*tate*

*ta'e abutentes vivunt ut volunt, volunt autem libidinoſe &c.* Et ſpecioſum illud Gnoſticorum cognomentum etiam Valentiniani ſibi adſciverunt, ut Epiphanius teſtatur. Quod in ſpecie de Marco inter Valentini diſcipulos haud incelebri Hieronymus aſſerit, cum Gnoſticorum meminit, qui *per Marcum Ægyptium Galliarum primum circa Rhodanum, deinde Hiſpaniarum nobiles fœminas deceperunt, miſcentes fabulis voluptatem, & imperitiæ ſuæ nomen ſcientiæ vendicantes*, quam hæreſin ab Irenæo diligentiſſime ſcriptam & h. l. & in epiſtol. 29. Hieronymus affirmat. Ad quæ Hieronymi loca jam ſupra *ſect. 2. cap. 6. theſ. 4. p. 130.* notavimus, quod Marcum Priſcillianum, qui Irenæo cognitus non fuit, cum Marco Valentiniano ſeu Baſilidiano confuderit. Corriget autem benevolus lector erratum ibi à Typographo commiſſum, cum pro 44. Iſaiæ capite c. 64. poni debeat. Ad eandem Gnoſticorum colluviem ſpectare Ptolomæanos tradit Epiphanius. De Cajanis idem eſto judicium, quos in Scorpiaco adverſus Gnoſticos à Tertulliano refutari Hieronymus memoriæ prodidit. Nec Marcion hic excludendus, quem aliis Gnoſticis annumerat Irenæus. Colarbaſum quoque & Secundum inter alios Gnoſticos retulit Epiphanius.

(*Pag. 165.*) hæreſ. 31. ſect. 1. lib. 17. commentar. ad Eſ. c. 64. hæreſ. 33. adv. Vigilant. c. 3. l. 4. cap. 14. hæreſ. 31. ſect. 1.

IV. Quamvis autem Gnoſticorum nomen generaliter acceptum Simonianis, Menandrianis, Nicolaitis, Saturnilianis, Baſilidianis, Carpocratianis, Valentinianis, Marcoſiis, Ptolomæanis, Cajanis, Marcionitis, Colarbaſianis, Secundianis, omnibusque aliis hæreſiarchis tribui poſſit, qui erroribus ſuis ſingularis ſcientiæ titulum obvelarunt, ideoque Pſeudo-Tertullianus in appendice ad librum de præſcriptionibus adverſus hæreticos Gnoſticorum hæreſin omittat, peculiari tamen alicui ſectæ & à prædictis hæreſibus diſtinctæ id nominis aſſignant Epiphanius, Auguſtinus, Pſeudo-Hieronymus, Autor Prædeſtinati & alii, qui ſub ſpeciali Gnoſticorum nomine eos intelligere videntur, qui etſi errores à Simone Mago, Menandro, Nicolao, Saturnino, Baſilide, Carpocrate, Prodico, aliiſque hæreſiarchis diſſeminatas amplecterentur, diſſimulatis tamen progenitorum ſuorum nominibus ab (*Pag. 166.*)

eximia ſcilicet rerum divinarum intelligentia Gnoſtici audire maluerunt.

V. Prolixe de Gnoſticis agit Henricus Hammondus in diſſertatione procemiali de juribus Epiſcopatus, plurimaque Novi Teſtamenti loca ad Gnoſticos ſpectare arbitratur. Cum enim Chriſtus Matth. 24. perſecutiones excidium Hieroſolymitanum præceſſuras & pſeudo-prophetas iſto tempore emerſuros diſcipulis prædicit, dilucide & ſignanter in hoc oraculo integram pæne Gnoſticorum hiſtoriam delineari ſuſpicatur, quos primum, clam, poſtea verò aperte cum Judæis ad exſcindendos Chriſtianos conſpiraſſe, & clades quas potuerunt maximas Chriſtiano nomini intentaſſe ſcribit. Qua ratione Paulinum de Antichriſto oraculum 2. Theſſ. II. ad Simonem Magum & Gnoſticos applicaverit, ſupra ſect. 1. cap. 2. theſ. 9. vidimus. Eosdem à Johanne ſub Antichriſti & Antichriſtorum nomine 1. Joh. II, 18. 19. & ſeqv. & 1. Joh. IV. 1. & ſeqv. deſignari putat. De iisdem interpretatur epiſtolam Judæ & caput 2. poſterioris epiſtolæ Petrinæ. Eorundem myſteria intelligi per τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ Apoc. II, 24. nec aliis magis quam Gnoſticis competere prædicata Apocal. XXI, 8. cumulata exiſtimat. Eosdem perſtringi cenſet à Paulo 1. Tim. VI, 3. & ſeqv. & 20. ſeqv. 2. Tim. III, 1. ſeqv. Roman. XVI, 17. 18. (Pag. 167.) Hebr. XII, 15. & ſeqv. Philipp. III, 18. 19. De libidinibus & nefandis impuritatibus Gnoſticorum agere ſtatuit dicta Rom. I, 29. XIII, 13. 1. Cor. V, 10. 11. VI, 9. 2. Cor. XII, 20. Gal. V, 19. Eph. IV, 19. V, 3. 1. Theſſ. IV, 6. 1. Pet. IV, 3. &c. Ad eosdem hæreticos ſpectare conjicit diſputationem Paulinam de idolothytis 1. Cor. VIII. cum Gnoſtici, quoties à gentilibus periculum impenderet, idolothyta comedere haud veriti fuerint, contra verò ſi à Judæis periculum immineret, circumciſionem neceſſariam docuerint, ut perſecutionis tempeſtatem evitarent, quorſum verba Pauli refert ex Gal. VI, 12. 13. Eosdem paſſim Pſeudo-prophetas, Pſeudo-apoſtolos, & Pſeudodidaſcalos appellari obſervat. Eosdem tangi notat, quoties Apoſtolus Paulus γνῶσιν inter & ἀγάπην comparationem inſtituit. De ipſorum odio adverſus Chriſtianos & perſecutionibus inde excitatis interpretatur dicta 1. Joh. II. 9.

II. 9. 1. Pet. IV. 17. & alia. Cum autem Jacobus V. 7. Paulus Hebr. X 25. & Petrus 1. Petr. IV. 7. judicis adventum & rerum omnium finem appropinquare dicunt, nihil aliud intelligi putat quam excidium Hieroſolymitanum, quod Judæis pariter & Gnoſticis horrendam cladem attulerit. Et hoc argumento Paulum etiam uti voluiſſe ſuſpicatur, cum ad Romanos ſcripſit cap. XIII. 11. σωτηρίαν ipſorum propinquiorem eſſe, quam cum ſuſcepta fide Chriſto nomina dediſſent. Per σωτηρίαν enim illam intelligit evaſionem & incolumitatem veris Chriſti confeſſoribus eo die obventuram, qui Judæis & Gnoſticis perditionem allaturus erat.

VI. Verum tantum abeſt, ut Gnoſtici per excidium Hieroſolymitanum eadem cum Judæis ſtrage exciſi fuerint, ut nunquam Gnoſticorum colluvies majores progreſſus habuerit, quam (Pag. 168.) Hieroſolyma jam pridem everſa. Et quamvis Apoſtolos in ſcriptis ſuis nonnunquam ad Simonianos aliosque ævi apoſtolici Hæreſiarchas reſpectum habuiſſe inficiari nolim, plurima tamen Novi Teſtamenti loca Hammondum violenter admodum ad Gnoſticos traxiſſe, nemini ut reor, obſcurum eſſe poteſt. Eoque nomine Hammondus Uſſerio aliisque doctis ludibrium debuit, qui illo accedente ſe vereri ſignificabant, ne illis frequenti & importuna Gnoſticorum memoria aures obtunderet, ut refert Le Moyne in notis ad varia ſacra.

VII. Peculiarem epiſtolam de origine Gnoſticorum ad Latinum Latinium ſcripſit Conſalvus Poncius de Leon, quæ extat p. 598. inter epiſtolas Latinii tom. 1. part. 2. p. 344. In ea poſt recenſitas veterum ſententias miratur Euſebium & cæteros Scriptores ſectæ hujus originem non ab Irenæo petiiſſe, qui libro 3. c. 3. (pro 3. legendum 4.) Gnoſticorum originem expreſſe à Menandro derivavit. *Quis autem Scriptor*, inquit, *ex iis, quos nobis non invidit vetuſtas, fide dignior Irenæo? qui certe parum abfuit ab eo ſeculo, doctrina præſtantiſſimus fuit, & in hoc argumento ex profeſſo verſatus.* Etſi verò Irenæus lib. 1.

 cap.

cap. 24. Carpocratem Gnoſticorum parentem facere videatur, locum tamen illum Poncius ſic interpretatur, quod Carpocratiani Gnoſticorum nomen ſibi adſciverint, quod & ab aliis hæreticis factum obſervat; etſi illud nomen jam ante Carpocratem exortum fuerit. Eadem ratione Clementis etiam Alexandrini locum de Gnoſticis à Prodico exortis interpretatur. Ego haud magnopere quidem ſententiæ illi repugnabo. Putaverim tamen Carpocratis & Prodici imprimis ſectatores primos fuiſſe, (Pag. 169.) qui Gnoſticorum nomen ſibi arrogaverint, poſtea tamen etiam ipſorum anteceſſores, à quibus deliria ſua hauſerant, hoc nomine à Scriptoribus eccleſiaſticis inſignitos fuiſſe. Sane nec in ſcriptis Apoſtolicis nec apud Scriptores Irenæo antiquiores Gnoſticorum appellatio occurrit. Quando igitur Irenæus Simonem Magum ψευδωνύμου γνώσεως parentem conſtituit, aut Gnoſticos à Menandro Simonis diſcipulo initia traxiſſe ſcribit, aut Saturnianos & Baſilidianos Gnoſticorum catervæ annumerat; nihil aliud innuere videtur, quam quod Simon, Menander, eorumque diſcipuli & ſucceſſores dogmata præformaverint, quorum γνῶσις poſtea apud quoſdam è Carpocratis & Prodici ſchola prodeuntes turgidum illud Gnoſticorum nomen peperit.

VIII. De tota Gnoſticorum theologia doctiſſime diſſerere Johannem Crojum in ſpecimine conjecturarum ad loca quædam (hiſtor. liter. p. 42.) Origenis notat Cave, Prodiit autem illud Croji ſpecimen, ut ex (p. 184.) Colomeſii Gallia orientali didici, A. C. 1632. cujus inſpiciendi & perlegendi copiam hactenus nondum habui. Quantum autem (p. 91.) ex Petavii appendice ad notas Syneſianas editionis ſecundæ 1633. cognovi, primo ejus capite, quod trientem & amplius totius libri occupare dicit, de nominibus dæmonum agit, unde & à Petavio, qui in prædicta appendice ſtricturas quaſdam in iſtud Croji ſpecimen edidit, Nomenclator Dæmonum ſæpius appellatur. Reliqua autem iſtius ſpeciminis pars illuſtrandis Æonum Valentinianorum vocabulis impenditur.

(p. 310. edit. Rigalt. p. 329.) IX. Gnoſticorum hæreticorum ſemina in Platonis ſcriptis relucere obſervavit Tertullianus *in libr. de anima. c. 18.* quem etiam

etiam poſtea c 23. omnium hæreticorum condimentarium appellat. Conſalvus Poncius de Leon in epiſtola ad Latinum Latinium jam ſupra allegata ad Stoicos Gnoſticæ doctrinæ originem referre mavult. *Non inſcite*, inquit, *Tertullianus Philoſophos appellavit hæreticorum Patriarchas, Gnoſticos itaqve inter Stoicos forſan connumerabimus. Nam Zeno opiniones à philoſophia ſuſtulit, ſicut ſcientiam Socrates, ut ex noſtris referunt Lactantius & Auguſtinus.* Sed jam qualia Gnoſticorum deliria fuerint, videamus, ſi prius de variis ipſorum cognominibus aliquid dixerimus. (*Pag.170.*)

X. Dicti igitur ſunt BORBORITÆ ſeu BORBORIANI ἀπὸ τῦ βορβόρυ ſeu à luto impuritatum, cui ſe totos immerſerunt. Teſtantur id Epiphanius *hær.26. Sect.3.* & Auguſtinus *hæreſ.6.* cujus hæc ſunt verba: *nonnulli eos etiam Borboritas vocant quaſi cœnoſos, propter nimiam turpitudinem, quam in ſuis myſteriis exercere dicuntur.* Philaſtrius autem, qui c.33. Gnoſticos à Nicolaitis derivat, & c.99. Gnoſticos cum Manichæis conjungit, iisque hunc errorem tribuit, quod ſerpentes & aves & alias pecudes perinde ac homines rationales ſtatuerint, peculiari capite, quod eſt 73. de Borborianis agit, eosque ſic deſcribit, quod in cœnum euntes faciem ſuam cœno oblinant, & membra deforment, & eâdem re velut culpandam Dei creaturam demonſtrent. Si Scholiaſten Βασιλικῶν Tom. II. p 581. audiamus, Borboritæ ſunt μέρ☉ τῶν Μανιχαίων ſeu pars Manichæorum, qui Nicolaitis ſucceſſerunt. Manichæorum partem Borboritas dixit, quia in illa conſtitutione, ad quam commentatur, Manichæis Borboritæ adjunguntur. Theodoretus autem cum *libr.1. de hæret. fab c.6.* Prodici ſectatores Gnoſticos dictos fuiſſe ex Clemente Alexandrino retuliſſet, poſtea peculiari capite, quod eſt 13. de Borborianis agit, quos & BARBELIOTAS à cœleſti quadam virtute, quam Barbeloth vocarunt, appellatos fuiſſe ſcribit. Hoc vero Barbelioterum nomen etiam ad Gnoſticos ſpectare indicat Epiphanius, cum Gnoſticos à nonnullis Barbelitas dictos affirmat. (*Pag.171.*)

U 3 XI. Ibi-

XI. Ibidem animadvertit Gnoſticos dictos etiam fuiſſe CODDIANOS, cum Codda apud Syros idem ſit ac paropſis aut catinus. Rationem appellationis hanc eſſe dicit, quod nemo communi cum illis cibo uti poſſit, ſed ſeparatim illis cibus apponi ſoleat; Aliter videtur Le Moynio, qui Coddianos ſic dictos putat à חד ſolus, quia ſoli & quaſi monachi viverent, & aliorum conſortium fugerent. Verum neſcio an talis ſolitudo Gnoſticis competat, qualem monachorum regulæ exigunt. Cæterum cum Gnoſticos martyrii contemptores fuiſſe conſtet, & Optatus Milevitanus lib. 4. de Schiſmate Donatiſtarum hæretici CORPIANI meminerit, negantis debere eſſe martyria, lectoribus dijudicandum relinquit Merricus Caſaubonus in notis ad illum locum, an forte Optatus ſingularem pro plurali
p. 331. poſuerit, & pro Corpianis ſubſtituendi Coddiani vel Copriani à κόπρος vel κοπρία, qua ratione hoc nomen cum Borboritis conveniret, quo Cyprianum ab æmulis contemptim appellatum, & una nominis litera mutata pro Cypriano Coprianum
inſtitur. lib. appellatum tradit Lactantius. Addit Caſaubonus, Balduinum
5. c. 1. indicaſſe, quod in codice quodam Optati MSC. Scorpiani pro Corpiani legatur. Quæ lectio forte ex Tertulliano nata eſt, qui librum ſuum adverſus Gnoſticos martyria aſpernantes Scorpiacum inſcripſit. Imo Pamelius in notis ad illum titulum non
(Pag. 172.) dubitat, Tertullianum, cum tractatum ſuum adverſus Gnoſticos Scorpiacum inſcripſit, ad hæreticum quendam, cui nomen SCORPIANI fuit, alluſiſſe, cujus venenatis morſibus Scorpiacum ſuum velut antidotum ſuum oppoſuerit.

hæreſ. 26. ſect. 3. XII. Dicti præterea ſunt iſti hæretici PHIBIONITÆ, ut apud Epiphanium loco allegato legitur. Apud Theodoretum in prædicto capite, quod de Barbeliotis & Borborianis agit, PHEMIONITÆ vocantur, quod nomen ex Valentini patria natum Cotelerius in notis ad Damaſcenum de hæreſibus ſu-
Tom. 1. eccl. Græc. monum. p. 764. ſpicatur. Valentinus enim juxta Epiphanium hæreſ. 31. ſect. 2. patria Phrebonites fuit, & hinc fortaſſe Gnoſticos primum Phrebonitas ac poſtea Phibionitas dictos, vel Phemionitas conjicit. Fuerunt quoque juxta Epiphanium, qui Gnoſticos STRATIO-

TIOTICOS & ZACCHÆOS appellarent. SOCRATITARUM nomen addit Damaſcenus *de hæreſ. c. 26.* NAASINORUM Theodoretus *lib. 1. c. 13. hæret. fabul.*

XIII. Uſi ſunt Gnoſtici ab Epiphanio deſcripti libris veteris & novi Teſtamenti, imo potius iisdem ad dogmata ſua firmanda perverſiſſime abuſi ſunt. Habuerunt vero præterea & libros quosdam Apocryphos variis nugis & fabulis refertos. Talis liber fuit, quem Noriam appellarunt, ſic dictum à Noria Noæ conjuge, de qua fabulati ſunt, quod cum ſe diluvio extinguendam intelligeret, aliquoties arcæ inſederit, eamque incenderit, & hoc facto ſæpius iterato in cauſa fuerit, quod arcæ ſtructura in plures annos prorogata fuerit. Habuerunt præterea Prophetam quendam nomine Barcabbam, & poëma, quod perfectionis evangelium inſcripſerunt, & Evangelium Evæ, interrogationes Mariæ, libros ſub Sethi nomine compoſitos, revelationes Adami, librum de progenie Mariæ, evangelium Philippo ſuppoſitum, aliaque ejus generis ſcripta. (*Pag.* 173.) Perverſæ autem à Gnoſticis Scripturæ unicum tantum ſpecimen adducere placet, deprömptum ex verbis Chriſti de Johanne Baptiſta: *quid exiiſtis in deſertum videre? arundinem à vento quaſſatam?* (Matth. XI. 7.) quæ Gnoſtici ſic interpretati ſunt, quaſi Johannes modò à Spiritu S. perflatus fuerit, & tunc de Chriſto ſermonem inſtituerit, modo à Spiritu ἄρχοντος, ut Epiphanius loquitur, & tunc Judaicum cultum prædicaverit.

XIV. Deum duplicem bonum & malum Gnoſtici finxerunt, ut tradit Auguſtinus *de hæreſ. c. 6.* Atque hinc Chriſtianus Lupus *in ſcholiis ad Tertullianum de præſcriptionibus c. 13.* putat, eccleſias Africanas, Rhodanenſes & Orientales ad verba primi articuli in ſymbolo Apoſtolico: *credo in Deum*, particulam *Unum* addidiſſe, ut Gnoſticorum de duplici Deo fabula elideretur. (p. 167. & ſeqv.) De Orientalibus id probat ex Ruffino, qui in expoſitione ſymboli omnes Orientis eccleſias ita ſymbolum recitare dicit: *credo in unum Deum.* (in operib. Cypriān. p. 508. edit. Rigalt.) De Africanis eccleſiis, quod idem fecerint, ex non-

nullis

nullis Tertulliani locis probat. De Lugdunenſi & aliis Rhodanenſibus eccleſiis idem ex Irenæo conſtare aſſerit, qui aliquoties fidei in unum Deum meminit. Addit Lupus, Rhodanenſem eccleſiam admodum per Gnoſticos corruptam fuiſſe, atque hinc neceſſarium fuiſſe, ut in ipſo ſymbolo ad verba: *credo in Deum*, adverſus Gnoſticos duplicis Dei aſſertores particula *Unum* adderetur, cujus additamenti autorem vel ipſum Irenæum vel anteceſſorem ejus Pothinum fuiſſe ſuſpicatur, illud etiam obſervans, quod additamentum illud apud Rhodanenſes & alias vicinas (*Pag.* 174.) eccleſias per aliquot ſecula ſervatum fuerit, cum adhuc in Vaurenſi ſynodo anno ſeculi 14. ſexageſimo octavo habita ſymboli Apoſtolici articulus primus his verbis recitatus fuerit: *credo in unum Deum* &c. Neque tamen Irenæum vel ejus anteceſſorem in Lugdunenſi Epiſcopatu Pothinum omnium primum illius additamenti autorem eſſe cenſet, ſed Clementem Romanum, qui cum Gnoſticorum factio Corinthiorum eccleſiam fœde laceraſſet, adverſus Gnoſticos duplicis divinitatis fabulatores fidem in (lib. 3. c. 3.) unum Deum apud hanc eccleſiam reparaverit. Id ſe ex his Irenæi verbis probare poſſe putat: *ſub hoc Clemente diſſenſione non modica inter eos qui Corinthi eſſent fratres facta, ſcripſit quæ eſt Romæ eccleſia potentiſſimas literas Corinthiis, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuncians, quam in recenti ab Apoſtolis receperant traditionem annunciantem unum Deum omnipotentem, factorem cæli & terræ, plaſmatorem hominis &c.* Verum ſi hæc verba Irenæi de certa quadam ſymboli formula loquuntur, ut exiſtimat Lupus, cur à Clemente Romano & non ab ipſis Apoſtolis vocem: *Unum* ad ſymbolum additam arbitratur, cum tamen Irenæus traditionem annunciantem Unum Deum ab Apoſtolis acceptam affirmet? Nimirum, quia ſymbolum Apoſtolicum, quale hodie Romana eccleſia uſurpat, verbotenus ab Apoſtolis conditum ſtatuit. In illo autem ſymbolo vocula *Unum* non comparet. Hinc ergo voculam illam ab ipſis Apoſtolis profectam dicere noluit,

XV. Si Lupum quæras, num & illa verba primi articuli: *creatorem cæli & terræ* adverſus Gnoſticos, non ab uno ſummo Deo, ſed ab alio principio mundum conditum blaſphemantes, à quibusdam eccleſiis addita, an ab ipſis Apoſtolis profecta fuerint? (*Pag.*175.) in varias ſe partes vertit, & in utramque partem diſputat. Ac primum quidem argumenta quædam adducit, quibus potenter ſuaderi aſſerit, verba illa in Romano ſymbolo olim non fuiſſe, ideoque nec ab Apoſtolis profecta. Poſtea tamen verba illa eſſe apoſtolica & ſemper in ſymbolo fuiſſe fortiſſime ſuadere Irenæum profitetur, cum diſerte is affirmet, quod S. Clemens apud Corinthios reparaverit traditionem Apoſtolicam annunciantem *unum Deum omnipotentem factorem cæli & terræ*. Verum ſi ex his Irenæi verbis fortiſſime probari poteſt, quod verba *factorem cæli & terræ* ipſos Apoſtolos autores habeant, cur ex iisdem non etiam fortiſſime probetur, quod vocula, *Unum* Apoſtolos ipſos autores habeat? Nimirum verba *factorem cæli & terræ* leguntur in ſymbolo hodierno, quod ab ipſis Apoſtolis verbotenus conceptum probare nititur, vocula *unum* non item. Hinc ergo ex eodem argumento diverſam argumentandi rationem init. Neque tamen in fortiſſimo iſto, ut putat, argumento firmiter conſiſtit & acquieſcit, ſed cum plura alia pro firmanda illa ſententia adduxiſſet, rem ſibi iſtam uſque nunc incertam eſſe profitetur. Et mirum eſt, quantum ſe Lupus torqueat, ut contra Voſſium & alios ſymbolum Apoſtolicum, quale hodie extat, ab ipſis Apoſtolis compoſitum eſſe probet. Videt enim eſſe in hoc ſymbolo quædam verba, quæ antiquitus in ſymbolo Romanæ eccleſiæ non fuerunt. Atque hinc refutat Henricum Vicum Ooſthovii Toparcham, qui in opuſculo de Chriſti ad inferos deſcenſu Ruffinum mendacii arguerat, quod dixiſſet, ſua ætate neque Romanum neque Orientale ſymbolum particulam illam de deſcenſu Chriſti ad inferos habuiſſe. Agnoſcit etiam in ſymbolo Aquilejenſi, Africano, quin & in Romano veteri eccleſiam non cognominari catholicam, neque diſſimulat à Pamelio, cum Ruffinianam ſymboli expoſitionem inter Cypriani opera ederet, epitheton illud nimis liberaliter adjectum fuiſſe, & quamvis pro antiquita-

te illius vocis multa congerat, poſtremo tamen ſic concludit: *ignoramus tituli originem, proinde illa vox omnino videtur eſſe ab ipſis Apoſtolis, poſſint & ſymbolo inſeruiſſe. eſt res incerta, interim inſertio iſta eſt antiquiſſima.* Has igitur aliaſque plures ſymboli additiones dum Lupus agnoſcit, & tamen hodiernum Romanæ eccleſiæ ſymbolum totidem verbis ab Apoſtolis conditum aſſerit, ut hæc inter ſe conciliet, inter ſymbolum traditum & ſcriptum diſtinguit. & ſimul tamen ſymbolum ex iis fuiſſe probat, quæ ſcripto mandari arcani diſciplina non admiſerit. Deinde inter verba ſymboli & ſententias diſtinguit, & non verba ſed ſenſus ab Apoſtolico chariſmate profectos pronunciat, & ſic tandem re ipſa cum Voſſio conſentit, quem tanto conatu ſe refutaſſe videri voluit. Neque enim Voſſius negaverit, doctrinam ſymbolo Apoſtolico contentam Apoſtolos præcones habuiſſe, ſed tantum ſymbolum, quod Apoſtolicum dicitur, hoc ipſo verborum ordine
tom. 1. p. 25. concinnatum ab Apoſtolis non fuiſſe aſſeruit. Laudo igitur candorem Ellies du Pin Pariſienſis Theologi, qui in nova bibliotheca Scriptorum eccleſiaſticorum communi Pontificiorum ſententiâ relictâ, ſymbolum Apoſtolicum his ipſis verbis & hoc ipſo quo nunc gaudet ordine ab Apoſtolis ſcriptum eſſe negat.

XVI. Chriſtum per Mariam oſtenſum Gnoſtici aſſeruerunt, ſed de Maria natum negarunt, neque vere ſed ſpecietenus
(Pag. 177.) tantum carnem ſuſcepiſſe dixerunt, ut legitur apud Epiphanium *hær. 26. ſect.* 10. Unde & Hippolytus Martyr in oratione de
Tom. IV. Oper. p. 88. diſtributione talentorum apud Theodoretum in dialog. 2. qui ἀσύγχυτος inſcribitur, de Gnoſticis ſcribit, quod docuerint, Chriſtum πεφαντασιωκέναι τὰς ὄψεις τῶν θεωμένων ὡς ἄνθρωπον οὐ φορέσαντα ἄνθρωπον, ἀλλὰ δόκησίν τινα φασματώδη μᾶλλον γεγονέναι i. e. *fallaci ſpecie ſpectantium oculis illuſiſſe, velut hominem, cum hominem non geſtaverit, ſed inane potius ſpectrum fuerit.* Præterea Gnoſtici variis Principibus vel Angelis terribilia nomina impoſuerunt, deque Deo & rerum natura multa fabuloſa & à ſanitate veritatis aliena contexuerunt, ut refert Auguſtinus *hæreſ.* 6. Quales illæ fabulæ fuerint, exponunt Irenæus *lib.* 1. *c.* 33. & 34.

Digitized by Google

& 34. Epiphanius *hæreſ. 26.* Theodoretus *lib. 1. de hæret. fabul. c. 13.* Pſeudonymus Hieronymus *in indicul. hæreſ. c. 6. p. 11. & 12.* Animæ ſubſtantiam Gnoſtici juxta Auguſtinum Dei dicunt eſſe naturam earumque adventum in hæc corpora cum aliis aëriis animalibus, ut vulgo in Auguſtini codicibus legitur, ſeu potius cum aliis aëreis animabus fieri putarunt, qua de re etiam Hieronymus *in indiculo hæreſium p. 11.* & Epiphanius *hæreſ. 26. ſect. 9.* videatur, qui etiam Gnoſticos carnis reſurrectionem negaſſe obſervat.

XVII. Martyria à Gnoſticis improbata fuiſſe teſtis eſt Tertullianus, qui integrum librum Scorpiaci titulo inſignitum Gnoſticis oppoſuit. Fuit hoc ipſius Simonis Magi principium, qui, ut Origenes memoriæ prodidit, hanc ipſam ob cauſam idololatriam indifferentem docuit, ut ſublato mortis periculo plures ſibi diſcipulos faceret. Veſtigiis Simonis inſtiterunt Menandriani, apud quos nec pro Deo ipſo mori lex fuit, ut refert Tertullianus, ſiquidem aliis Chriſtianis mortem per martyrium flagitantibus Menander ſuis diſcipulis immortalitatem promittere audebat. Baſilidianos quoque martyria improbaſſe Autor append. ad Tertull. de præſcript. *c. 46.* & alii tradiderunt. De Valentinianis, quorum inoleſcentes doctrinæ juxta Tertullianum in ſylvas Gnoſticorum excreverunt, idem conſtat. Martyrii enim neceſſitatem eluſerunt, ut *cap. 30. adv. Valent.* Tertullianus teſtatur. Neque Prodici aſſeclæ hic prætermittendi. Nam hos etiam à Tertulliano in libro adverſus Gnoſticos perſtringi, hæc ultimi capitis verba indicant: *quod ſi jam tunc Prodicus aut Valentinus adſiſteret ſuggerens, non in terris eſſe confitendum apud homines &c.* Hos igitur omnes in hoc tractatu Tertullianus refutat. De Cajanis, qui à Tertulliano in libro adverſus Gnoſticos confutati fuerunt, Hieronymus *ad v. Vigil. c. 3.* teſtatur. Quod vero Tertullianus imprimis ad hæreticum quendam nomine Scorpianum reſpexerit, cujus opinionis mentionem jam ſupra feci, perſuadere mihi vix poſſum. Alias enim rationes indicat, cur Scorpiacum hunc librum inſcripſerit, nempe quia Gnoſtici illi, contra quos agit, ſcorpiis ſimillimi fuerunt, contra quorum

lib. 6. contr. Celſum.

(Pag. 177)

lib. de anim. c. 50.

lib. contr. Valentin. in fine cap. ult.

rum venena librum ſuum tanquam ſalutare antidotum bibi cupit.

XVIII. Ut jejunia Gnoſtici improbaverint, omnique honeſtate proculcata fœdiſſimis libidinibus indulſerint, Epiphanius
hæreſ. 26 ſect. 4. & ſeqv. prolixe memorat, qui etiam nefanda ipſorum myſteria recenſet, in quibus loco panis & vini ſemine virili & ſanguine menſtruo uſi ſunt, & abortivos fœtus in cibum pararunt. Equidem antiquiores Epiphanio Patres, qui Gnoſticorum deliria refutarunt,
(Pag. 179) nullam nefariorum iſtorum ſacrorum mentionem injecerunt, neque illi, qui in apologiis ſuis calumniam Thyeſtearum epularum ab infidelibus objectam à Chriſtianis repulerunt, in Gnoſticos illius criminis culpam conjeciſſe deprehenduntur. At-
p. 76. que hinc Heraldus in notis ad Minutium Felicem Epiphanii fidem hic ſolicitat. At cum Epiphanius & Gnoſticorum libros legerit, & ipſe in juvenili ætate à Gnoſticorum mulieribus in criminis ſocietatem invitatus ſectæ illius mores & inſtituta probe exploraverit, ut ipſe profitetur, dubitari vix poteſt, quin ſaltem Epiphanii ætate talia à Gnoſticis perpetrata fuerint.

XIX. Scripſit adverſus Gnoſticos tractatum Plotinus, inter cujus opera tractatus ille enneadis 2. librum 9. conſtituit. Quales autem Gnoſtici illi fuerint, exponit Porphyrius in vita Plotini, ubi recenſet, fuiſſe tum inter Chriſtianos quosdam ex antiqua philoſophia egreſſos hæreticos Adelphii & Acylini ſectatores, qui Alexandri Libyci, Philocomi aliorumque hujuſmodi plurima ſcripta habuerint, & revelationes Zoroaſtris & aliorum palam oſtentaverint, multoſque deceperint, quibus ſuum contra Gnoſticos tractatum Plotinus oppoſuerit, eum imprimis in finem, ut Platonem ab eorundem incuſationibus vindicaret. Plura de iſtis Gnoſticis eorumque erroribus à Plotino refutatis diſſerit Marſilius Ficinus in ſuo ad illum Plotini librum commentario p. 191. & ſeqv.

XX. Ex eccleſiæ Patribus præter Irenæum, Tertullianum & Epiphanium Gnoſticis ſe oppoſuit Clemens Alexandrinus, qui

Digitized by Google

qui Gnoſticorum nomen turpiſſimis hæreticis tanquam injuſtis poſſeſſoribus eripere conatus in alterum extremum declinavit, & incautis loquendi formulis religionem ab obſcœnarum libidinum profundo in contraria juga propriæ ſanctitatis & enthuſiaſmi deduxit, Stoicorum ἀπάθειαν in eccleſiam inducens, per quam Chriſtianos in hac vita ad talem perfectionem pervenire poſſe ſtatuit, ut angelis æquales evadant. Et perfectiores illi Chriſtiani à Clemente Alexandrino Gnoſticorum nomine digni reputantur, qua de re Thomaſius *in ſchediaſm. hiſtoric. th. 43. & ſeqv.* videatur. (Pag. 180)

XXI. Barnabæ epiſtolam totam ad Gnoſticos ſpectare aſſerit Hammondus *in diſſertat. proœmial. de jur. epiſcop.* nec commode p. 6, 9, 13, 22. explicari poſſe putat, niſi Gnoſticorum charactere probe obſervato. Cum enim Gnoſtici Scripturæ juxta myſticos & allegoricos ſenſus explicandæ facultatem ſibi arrogantes, multa veteris teſtamenti myſteria ad deliria ſua & obſcœna ſacra perverſe applicarent, hinc Barnabam impulſum cenſet, ut ipſe quoque quam plurima veteris Inſtrumenti loca myſtice expoſita Gnoſticorum doctrinis opponeret, & ex dictis illis primo Chriſtum vere natum & paſſum probaret, quod Gnoſtici negabant, ſecundo circumciſionem & ritus Judaicos abolitos concluderet, quos Gnoſtici judaizantes obſervandos contendebant, tertio denique ἀκαθαρσίαν omnigenam, quæ à Gnoſticis exercebatur, fugiendam ſvaderet. Confirmat hanc ſententiam ex eo, quod γνώσεως voce Barnabas utatur, ejusque duplex genus proponat, unum lucis, alterum tenebrarum. Verum Autor hujus epiſtolæ γνῶσιν non diſtinguit in bonam & malam, ſed in theoreticam & practicam. Prior enim epiſtolæ pars theoretica eſt, in qua varia Scripturæ dicta exponuntur, & adverſus Judæos adhibentur, altera practica, quam Barnabas his verbis auſpicatur: μεταβῶμεν δὲ καὶ ἐπὶ ἑτέραν γνῶσιν. Practicam autem iſtam γνῶσιν dum inchoat, duas hominum vias diſtinguit, unam lucis, alteram tenebrarum. Atque hæc omnia probe intelligi poſſunt, ſi vel maxime ad Gnoſticorum characterem minime attendamus. (Pag. 181.)

XXII. Parum ſane de Gnoſticis in explicanda hac epiſtola ſuboluit viris celeberrimis, qui Barnabæ epiſtolam luce publica donarunt. Primus qui Barnabæ epiſtolam editioni paravit, fuit Jacobus Uſſerius. Verum cum opus adhuc prælo ſubeſſet. A. C. 1643. gravi incendio, quod Oxoniæ tum exortum eſt, una cum ipſo typographeo exemplar iſtud conſumptum fuit. Evaſit tamen incendium neſcio quo caſu editoris de Barnabæ epiſtola præmonitio, ſeu potius pars illius præmonitionis, in qua Barnabæ epiſtolam in duas partes diſpeſci obſervat, de Gnoſticis nihil addit. Poſt Jacobum Uſſerium Hugo Menardus Monachus congregationis S. Mauri Barnabæ epiſtolam tenebris eruendam & notis illuſtrandam exiſtimavit. Et quamvis luce hujus vitæ privaretur, antequam hoc opus in lucem prodiret, inventus tamen eſt Lucas d'Achery ejusdem congregationis ſocius, qui Pariſiis 1645. Menardi lucubrationes publicaret. Hic Achery in præfatione ad lectorem monet, ſcopum Barnabæ fuiſſe, ut legem judaicam, ſabbatha, jejunia, aliasque cerimonias Leviticas per Chriſtianæ religionis promulgationem penitus deſiiſſe oſtenderet. Ipſe Menardus in notis ad epiſtolam Barnabæ hanc epiſtolam oppoſitam eſſe dicit Judæis quibusdam ad Chriſti fidem converſis, ſed adhuc Galatizantibus h. e. legem Moſaicam cum evangelio retinendam putantibus, eaque occaſione etiam de Chriſti adventu & paſſione nonnulla proferri, ſub finem autem epiſtolæ Chriſtianos de vita recte inſtituenda admoneri. Singulorum deinde capitum argumenta recenſet, nulla plane Gnoſticorum ratione habita. Anno 1646. Iſaacus Voſſius cum Ignatii epiſtolis Barnabæ quoque epiſtolam Amſtelodami edidit, & notis illuſtravit, neque tamen in notis illis quicquam deprehenditur quod ad explicandum Barnabam ex Gnoſticorum hiſtoria petatur. Anno 1655. Joachimus Johannes Maderus Helmſtadii novam hujus epiſtolæ editionem procuravit de Gnoſticis nihil monens. A. C. 1672. Johannes Baptiſta Cotelerius operibus Patrum, qui apoſtolica ætate floruerunt, Barnabæ quoque epiſtolam inſeruit, qui hanc epiſtolam ad Hebræos Chriſtianos antiquatæ legis nimis tenaces miſſam aſſerit. A, 1685. Oxonienſes Barnabæ epi-

P. 79. (Pag. 182)

epiſtolam una cum Hermæ Paſtore ediderunt. In ejus editionis præfatione inque notis textui ſubjectis, denique in annotationibus Eduardi Bernhardi, quæ ad calcem ſubjectæ ſunt, nihil de Gnoſticis reperire licet. Solus Stephanus Le Moyne, qui eodem Anno 1685. inter varia, quæ vocat, ſacra, Lugduni Batavorum edita Barnabæ epiſtolæ locum dedit, in notis p. 600. cum nonnulla Hammondi de Gnoſticis verba protuliſſet, addit, quod ea nonnullis hujus epiſtolæ locis lucem fœnerari poſſint. Mihi videtur vix alia ratione dici poſſe, quod Barnabas, quisquis ille fuerit, in hac epiſtola contra Gnoſticos egerit, niſi Gnoſticorum ſub nomine intelligamus Hebræos Chriſtianos Moſaicis ceremoniis adhuc nimium addictos. Et ſi generalius accepto vocabulo Gnoſtici vocentur qui ψευδώνυμον aliquam (*Pag.183.*) γνῶσιν habuerunt, inter Gnoſticorum antagoniſtas alii quoque Scriptores veteres referendi ſunt, Ignatius ſcilicet, Polycarpus, Clemens Romanus & alii, qui contra varios hæreticos modo Chriſti veram humanitatem, modo ejusdem Divinitatem, modo mortuorum reſurrectionem & alios fidei articulos defenderunt. Et hac ratione etiam admitti poteſt, quod Autor Prædeſtinati *hæreſ. 6.* Gnoſticos à Paulo caſtigatos aſſerit, aut quod alii, inter quos Morellus in notis ad Nicetæ theſaurum orthodoxum, à Petro & Juda Gnoſticos vivis coloribus expreſſos aſſerunt. Id inquam admitti poteſt, quatenus univerſa hæreticorum, qui in ipſo naſcentis eccleſiæ exordio prodierunt, colluvies hoc nomine deſignatur.

CA-

(Pag.184.)

# CAPUT X.

*de*

## Docetis ſeu Docitis, Phantaſio-docetis ſeu Phantaſiaſtis, Anthropomorphis, Scythiano, Marciano & Marcianitis, Julio Caſſiano, & Hæmatitis.

I.

DOCETÆ ſeu DOCITÆ juxta Gentianum Hervetum Clementis Alexandrini interpretem, ſi Halloixio *in not. ad c.* 1. *de vita Serap. tom.* 2. *illuſtr. Oriental. eccl. Script. p.* 862. fides adhibenda, dicti ſunt, quod falſam viſionem ſeu phantaſiam pro vera habuerint. Fateor tamen, me in Baſileenſi Clementis editione, quæ ex Herveti latina interpretatione cum ejuſdem ſcholiis 1566. prodiit, nihil tale inveniſſe, ſed potius Docetas docuiſſe, quod Chriſtus corpus phantaſticum aſſumſerit, ut in notis marginalibus prædictæ editionis ad libr. 3. Strom. p. 217. legitur, quæ poſterior ſententia dubio procul verior eſt. Et nomen quidem Docetarum ante Serapionem apud Euſebium *lib.* 6. *c.* 12. *hiſtor. eccl.* & Clementem Alexandrinum *lib.* 7. *Stromat.* nemo uſurpavit, unde currente ſeculo ſecundo natum videtur. Ipſe autem Docetarum error, qui nomini huic originem dedit, ad

ad Apoſtolicam ætatem referendus eſt. Unde etiam Hieronymus affirmat, Apoſtolis adhuc in ſeculo ſuperſtitibus, & Chriſti ſanguine adhuc recenti, fuiſſe qui phantaſma Chriſti corpus aſſererent. (*Pag. 185.*)

II. Nec dubitat Petavius, in ejus generis hæreticos Johannem invehi, cum omnem Spiritum, qui non confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, non ex Deo ſed Antichriſtum eſſe affirmat. Equidem haud deſunt, qui verba Johannis à Neſtorianis corrupta ſuſpicentur. Cum enim olim legeretur: *omnis Spiritus, qui Chriſtum ſolvit, ex Deo non eſt*, Neſtorianos his verbis cauſæ ſuæ jugulum peti videntes Johanneum textum adulteraſſe tradunt. Firmatur hæc conjectura teſtimonio Bedæ in annot. ad h. l. & Socratis lib. 7. c. 32. ubi ait Neſtorium ignoraſſe in antiquis exemplaribus ſcriptum eſſe: *omnis Spiritus qui ſolvit Jeſum, non eſt ex Deo*, quæ ſententia ex vetuſtis exemplaribus ſublata fuerit ab iis, qui divinam naturam ab humana ſeparandam ſtatuerunt. Favent huic ſententiæ præter vulgatum interpretem Irenæus lib. 3. c. 18. & alii Patres ab Eſtio *in comm. ad h. l. p. 1285.* & Morino *lib. 1. exerc. bibl. exerc. 2. c. 1. p. 36.* allegati. Quæ cauſa eſt cur è noſtratibus B. Hunnius latino textui hic magis quam Græcis fontibus favere videatur, quem ſecutus B. Rappoltus *in comm. ad h. l. p. 423.* lectionem illam: *omnis Spiritus qui ſolvit Jeſum*, ἐμφατικώτερον eſſe dicit. Verum D. Seb. Schmidius ad h. l. p. 409. fontes Græcos hic etiam ut ubique Latinæ verſioni præferendos ſtatuit. Confirmat Græcam lectionem hodiernam: πᾶν πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα &c. interpres Syrus & Arabs, ex Patribus Latinis Cyprianus lib. 2. contra Judæos, & è Græcis ipſe Johannis diſcipulus Polycarpus in ſua ad Philippenſes epiſtola, è quibus patet, verba illa: Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα à Neſtorianis Polycarpo & Cypriano longe junioribus profecta non fuiſſe. Accedit, quod ipſa antitheſis Johanni perquam familiaris hoc requirere videatur, ut Epiſcopus in commentar. ad h. l. aliique interpretes notarunt. Socratis teſtimonium tanti non eſt, ut in ejus gratiam à fide Græcorum

Tom. IV. dogm. theol. lib. 1. de incarnat. c. 4.

1. Joh. IV. 3.

(*Pag. 186.*)

corum codicum diſcedamus. Unde autem altera illa lectio: πᾶν πνεῦμα ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν *omnis Spiritus qui Jeſum ſolvit* promanaverit, difficile dictu eſt. Stephanus Le Moyne non alienus videtur ab ea ſententia, quod Patres ſecundi ſeculi, ut Gnoſticos Jeſum à Chriſto divellentes fortius ſtringerent, Johanneum textum interpolaſſe, poſtea tamen addit ſe exiſtimare, interpolationem illam caſu potius quam pravo conſilio factam, & ex ἐληλυθότα factum λελυθότα, quas conjecturas ulteriori Criticorum diſquiſitioni ventilandas relinquimus.

not. ad var. lect. p. 405.

III. Quos Johannes in ſua epiſtola graviſſimis verbis perſtrinxerat hæreticos, etiam diſcipuli Johannis intactos non reliquerunt. Sic enim Polycarpus in epiſtol. ad Philippenſes: πᾶς ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, ἀντίχριστός ἐστιν, *omnis qui non confeſſus fuerit Chriſtum in carne veniſſe, antichriſtus eſt.* Scio nonnullis videri, quod hæc epiſtola Polycarpo ſuppoſita fuerit, aliis, quod ſaltem non pura & ſincera ad manus noſtras pervenerit, & Virum quendam Doctiſſimum opinari, quod idem impoſtor, qui Ignatianas epiſtolas interpolavit, Polycarpianam quoque interpolaverit, adeoque Polycarpi epiſtola ejuſdem generis ſit cum Ignatianis, quales ante Voſſianam & Uſſerianam editionem prodierunt. Verum neque Polycarpo epi-
(*Pag.* 187.) ſtolam hac ſuppoſitam putem, nec ab eodem impoſtore interpolatam, qui Ignatianis epiſtolis adulterinas manus intulit. Nam illum Ignatii interpolatorem maleferiatum hæreticum fuiſſe Uſſerius probavit. At in Polycarpi epiſtola nullum manifeſtum errorem deprehendi, illi etiam agnoſcunt, qui ſpuriam eſſe cenſent. Præterea interpolator Ignatii epiſcopali poteſtati nimium tribuit. At in hac epiſtola Epiſcopi à Presbyteris non diſtinguuntur, unde etiam nonnulli è Presbyterianis, qui ne ſinceriores quidem Ignatii epiſtolas, nedum interpolatas recipiunt, Polycarpi epiſtolam ut genuinam amplectuntur, ut ex Blondelli apologia pro ſententia Hieronymi conſtat. Denique Ignatianas epiſtolas à maleferiato quodam hæretico interpolatas fuiſſe ex diverſis Ignatianarum epiſtolarum exemplaribus ad oculum de-

mon-

Digitized by Google

monſtrari poteſt. At in epiſtolæ Polycarpianæ exemplaribus tanta variatio non occurrit. Quamvis itaque aſſerere nolim, omni ex parte genuinam ad nos Polycarpi epiſtolam veniſſe, malim tamen eam cum ſincerioribus Ignatii epiſtolis quam cum interpolatis comparare. Quantum autem ad verba, quæ ex Polycarpi epiſtola adduximus, attinet, ea à Polycarpi manu profecta & ex ipſa Johannis epiſtola deprompta mimime dubito.

IV. Ante Polycarpum Ignatius contra eosdem hæreticos calamum ſtrinxit in epiſtola ad Smyrnæos ſcribens, eos Chriſtum abnegare & viciſſim à Chriſto abnegari, qui Chriſtum vere paſſum negent. Inter alia dicit, ἀληθῶς ἔπαθεν, ὡς καὶ ἀληθῶς ἀνέστησεν ἑαυτὸν, οὐχ' ὥσπερ ἄπιστοί τινες λέγουσιν, τὸ δοκεῖν αὐτὸν πεπονθέναι &c. *vere paſſus eſt, ut & vere reſuſcitavit ſeipſum, non, quemadmodum infideles quidam dicunt, ſecundum videri ipſum paſſum eſſe.* (Pag. 188.)
Dicit deinde Ignatius, ſe Chriſtum etiam poſt reſurrectionem in carne noſſe & credere. Quamvis enim Ignatii verba: ἐγὼ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα, Hieronymus *in catalog. Scriptor. eccleſ.* & Latinus Ignatii interpres vetus ab Uſſerio vulgatus ita interpretati fuerint, quaſi Ignatius Chriſtum poſt reſurrectionem viderit, nihil amplius tamen Ignatius dixit, quam quod Chriſtum poſt reſurrectionem in carne noverit, qua de re apud Voſſium *in not. ad epiſtol. Ignatii p. 257.* Pearſonium *in vindic. epiſtol. Ignatii part. 2. c. 10. p. 120.* & Halloixium *in not. ad vitam Ignatii p. 385.* plura videantur. Dicit etiam in illa epiſtola Ignatius, quod is, qui Chriſtum σαρκοφόρον eſſe non confitetur, νεκροφόρος ſit.

V. Notatu dignum & illud in hac Ignatii epiſtola, quod iſtos hæreticos propterea ab Euchariſtia receſſiſſe dicit, quia confiteri noluerint, Euchariſtiam eſſe carnem Domini noſtri Jeſu Chriſti pro peccatis noſtris paſſam. Verba ejus ſic habent; εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὴν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, *ab euchariſtia & oratione recedunt propter non confiteri euchariſtiam carnem eſſe ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti pro peccatis noſtris paſſam.*

*paſſam.* Quem Ignatii locum etiam Theodoretus in dialogo 3. allegat. Et quamvis Chemnitius in examine Concilii Trident. *part. 1. de tradit. p. 86.* locum illum à Theodoreto ex Ignatii epiſtolis allegatum ſua ætate nec in Græcis nec in Latinis codicibus extitiſſe animadvertat, reperta tamen ſunt in codice Florentino, (*Pag.* 189) quem Voſſius evulgavit, & in latina verſione veteri quam Uſſerius in Anglia invenit. Cum enim Uſſerius locum illum Ignatii à tribus Angelis Guilielmo Wodefordo *contra trialogum Wicleffi articul. 1.* Roberto Lincolmienſi *in Commentar. ad Dionyſii eccleſiaſtic. hierarch. cap. 3.* & Johanne Tiſſingtono *in confeſſion. contra Wicleffum* allegatum meminiſſet, circumſpicere cœpit, num forte adhuc in Anglia ejuſmodi Ignatii exemplaria reperiri poſſent, in quibus verba iſta Ignatii non deſiderentur. Nec ſpes ipſum fefellit, c. 3. p. XV. qua de re ipſe Uſſerius in prolegom. ad epiſtol. Ignatii legi poterit. Et Dallæus quidem ex eo ipſo Ignatii loco Ignatianarum epiſtolarum fidem impugnavit, cum alii Scriptores veteres Docetas ab euchariſtia abſtinuiſſe non memoraverint. Reſponſum Dallæo à Cotelerio *in notis ad epiſtolas Ignatii*, & Pearſonio *in vindiciis epiſtolarum Ignatii part. 2. c. 11.* Nonnulla tamen adverſus utrumque pro Dallæo vindicando regeſſit Larroquanus *in obſervationibus ad Ignatii vindicias pag. 283.* quæ nunc excutere non lubet.

VI. Ejus igitur generis hæreticos, qui Chriſtum non verum corpus ſed phantaſma tantum corporis habuiſſe dixerunt, Clemens Alexandrinus & Serapion Docetas appellarunt, quo nomine etiam à Theodoreto in lib. 5. de hæret. fabul. ſeu in epitom. decretorum divinorum c. 12. appellantur. Quorum p. 197. edit. Rom. errorem Methodius in convivio virginum ita deſcribit, quod docuerint, Chriſtum δοκήσει πεφυκέναι ſeu opinione tantum p. 605. edit. Pariſ. natum eſſe. A Theophylacto ad cap. 4. Joh. PHANTASIODOCETÆ appellantur, ubi dicit Chriſtum noluiſſe ſæpius per (*Pag.* 190.) medium ſuorum hoſtium tranſire, ne Valentinianis aliisque Phantaſiodocitis phantaſtici corporis ſomniandi occaſionem daret. A nonnullis etiam PHANTASIASTÆ dici ſolent, quamvis

vis alias illud nomen his imprimis attributum fuerit, qui etſi Chriſtum verum corpus habuiſſe non negarent, Phantaſtiaſtæ tamen, item Aphthartodocetæ & Incorrupticolæ propterea dicti ſunt, quod famem, ſitim & alias hujus modi naturales corporis affectiones non vere ſed apparenter tantum in Chriſto fuiſſe exiſtimarent, de quibus Liberatus *in breviario c. 19.* Nicephorus *lib. 18. c. 45.* & alii videantur.

VII. Eosdem hæreticos Steph. Le Moyne putat ab Ignatio in epiſtola ad Smyrnæos ANTHROPOMORPHOS appellari, quod Chriſti corpus ſpeciem tantum humanam referre docerent. Verum ideo potius Anthropomorphos iſtos hæreticos Ignatius appellavit, quod ipſi humana ſpecie induti beſtiis potius annumerandi eſſent, unde eos θηρία ἀνθρωπόμορφα ſeu beſtias antropomorphas appellat. Quod imitatus Pſeudo-Ignatius in epiſtola ad Tarſenſes ſe à Syria usque Romam cum beſtiis pugnare dicit, non quidem irrationalibus, ſed anthropomorphis, quo nomine milites deſignat, à quibus Ignatius Romam ductus eſt. Alias, ut notum eſt, Anthropomorphitæ dicti ſunt, qui Deo corporea membra tribuerunt, de quibus hic non eſt dicendi locus.

*not. ad var. ſacr. p. 409.*

VIII. Si quæras quales illi Docetæ vel Anthropomorphi fuerint, quos Polycarpus & Ignatius refutant, reſpondet Le Moynius, fuiſſe in illorum numero Scythianum ejusque ſequaces, qui Chriſtum in carne & vero corpore veniſſe ſub initium ſecundi ſeculi negaverint. Fuit autem Scythianus non ipſe quidem Manes, ut Theodoreto *lib. 1. de hæret. fabul. c. 26.* & Suidæ *in lexico ſub voce Manes tom. 2. p. 89.* viſum, ſed Manetis anteceſſor, ex cujus libris poſt Terebinthi & vetulæ, à qua adoptatus fuerat, mortem hæreditate ad ſe devolutis deliria ſua hauſit inſanus ille Manes. Plura de Scythiano legere cupiens Epiphanium adire poterit, qui refert, eum origine Saracenum, in Arabia educatum, Græca lingua & literarum ſtudiis imbutum poſtea ex mercatura magnas opes ſibi comparaſſe, tandem abſurdis quibusdam dogmatibus inveniendis & propagandis operam

*in not. ad var. ſacr. p. 406. & 418.*

*(Pag. 191.)*

*hæreſ. 66. ſect. 1. 2. 3.*



Digitized by Google

dediſſe, ejusque rei gratia quatuor libros compoſuiſſe, quorum primum myſteriorum, alterum Capitum, tertium evangelii, quartum theſaurorum inſcripſiſſe, & inter alia docuiſſe, quod duplex ſit rerum omnium principium, cum album & nigrum, humidum & ſiccum, cœlum & terra, nox & dies, corpus & anima, bonum & malum, juſtum & injuſtum ex uno Deo proficiſci non potuerint. Addit Epiphanius tragicum Scythiani exitum. Cum enim Hieroſolymam profectus fuiſſet, ſuisque diſputationibus ibi nihil profeciſſet, ad magicas artes ſe convertit, & domo quadam conſcenſa præceps inde decidit. De eodem Scythiano Cyrillus Hieroſolymitanus *catech. 6.* & Socrates *lib. 1. c. 22.* videri poterunt, è quibus Socrates libros illos quatuor non à Scythiano ſed à Terebintho ſcriptos memorat, quia forte Terebinthus Scythiani libros expolivit, & novis erroribus locupletavit.

IX. Quamvis autem non improbabile videatur, Scythianum docuiſſe, quod Chriſtus non in carne & vero corpore ſed in phantasmate venerit, cum etiam Manes poſtea errorem illum (*Pag.* 192.) amplexus fuerit, perſuadere mihi tamen non poſſum, quod Scythianus Ignatio vel Polycarpo cognitus fuerit, multo minus, quod Apoſtolorum ætate Hieroſolymam venerit, ut ab Epiphanio aſſertum fuit. Id enim ratio temporum plane non admittit. Neque neceſſe eſt, ut Scythianum ab Ignatio & Polycarpo refutatum dicamus. Nam etiam Simonis Magi diſcipuli errorem illum amplexi ſunt, quos poſtea Saturniniani, Baſilidiani, Valentiniani, Cerdoniani, Marcionitæ & alii ſecuti.

X. Atque his Docetis, de quibus jam in ſuperioribus capitibus actum eſt, annumerandi etiam MARCIANITÆ, ſic dicti à MARCIANO quodam, quem in Docetarum hæreſi fuiſſe, & ex apocrypho quodam Petri evangelio errorem ſuum hauſiſſe tradit Serapion in libro de evangelio Petri apud Euſebium lib. 6. c. 12. Et hi Marcianitæ, qui labente ſeculo ſecundo ſub Commodi imperio Rhoſſenſem eccleſiam turbarunt, non confundendi ſunt cum alio quodam Marcianitarum genere, quod à Mar-

Digitized by Google

Marciano Trapezita Juſtiniani & Juſtini junioris ævo exortum refert Timotheus Presbyter *in libr. de receptione hæreticorum p. 400.* & à Gregorio M. *libr. 5. epiſtol. 15. 16. 17.* tanquam obſcura, à Theophylacto autem Simocatta *lib. 8. de vita Mauritii c. 9.* tanquam ridicula & ſtolida hæreſis traducitur.

XI. Addimus Docetis JULIUM CASSIANUM, quem τὸν τῆς δοκήσεως ἔξαρχον ſeu Docetarum hæreſeos Principem appellat Clemens Alexandrinus *lib. 3. Strom.* qui etiam eum Valentini diſcipulum fuiſſe & in libro quem de continentia ſcripſit, eandem cum Tatiano foviſſe ſententiam affirmat. Quamvis autem Clemens Alexandrinus hunc Caſſianum τὸν τῆς δοκήσεως ἔξαρχον faciat, non cogitandum tamen eſt, quod omnium primus eum errorem excogitaverit, ſiquidem jam ante Valentinum ejusdem Præceptorem iſti errori hæreticos quosdam addictos fuiſſe jam ſupra cognovimus. Quamobrem ſtatuendum videtur, Caſſianum inſtauratorem potius quam primum illius hæreſeos autorem fuiſſe. (*Pag. 193.*)

XII. Docitis à Clemente Alexandrino junguntur HÆMATITÆ, quorum alii veteres Scriptores non meminerunt. Et quamvis ἀπὸ τοῦ αἵματος ſeu ſanguine iſtos hæreticos cognominari conſtet, incertum tamen eſt, cur eo nomine notati fuerint. Erunt fortaſſe, qui exiſtiment, Hæmatitarum nomine deſignatos Nicolaitas, Baſilidianos, Cajanos alioſque hæreticos ab idolothytorum uſu minus alienos. Sane Spencerus in diſſert. ad Act. XV, 20. quæ ſubjuncta eſt libro 2. de legibus Hebræorum, iſtos hæreticos etiam ſanguinis eſu potuve ſe polluiſſe cenſet, etiamſi hoc aperte de illis ſcriptum non legatur, cum etiam ſanguis & ſuffocatum tanquam res dæmoni ſacratæ ſub generali idolothytorum nomine comprehenſa videantur. Cogitari etiam poſſit, num forte hoc nomine illi hæretici notentur, qui in myſteriis ſuis humano ſanguine uſi ſunt, qualia myſteria Simoni Mago Clemens in geſtis Petri, Cataphrygibus Auguſtinus, Gnoſticis & Quintillianis Epiphanius tribuit. (lib. 7. Strom. p. 549.) (pag. 500.)

CA-

(Pag. 194).

# CAP. XI.

*de*

# Melitoniis & Melitanis.

I.

A*Lia* (hæreſis) *dicit, corpus hominis, non animam eſſe imaginem DEI.* Sic Auguſtinus in libello de hæreſibus *c. 76.* Quorum ſit illa hæreſis, exprimitur in indice qui huic libello præfixus & præfationi ſubjunctus eſt. Ibi enim MELITONII vocantur. Nolit Danæus in notis ad hoc Auguſtini caput hæreticos illos ab illo Melitone ſic dictos, qui Sardium eccleſiæ præfuit, & inter præcipuos qui ſeculo poſt Apoſtolicum proximo vixerunt eccleſiæ Doctores numerari ſolet. Et ſane inter hæreſiarchas Virum pietate & doctrina illuſtrem nemo temere numeret. Hunc enim Melitonem tanti fecit Polycrates Epheſi Epiſcopus, ut eum appellet τὸν εὐνοῦχον τὸν ἐν Ἁγίῳ Πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον h. e. *Eunuchum qui Spiritu S. afflatus omnia geſſit,* ut videre licet ex Polycratis ad Victorem epiſtola apud Euſebium,
lib. 5. c. 24. quam Latine reddit Hieronymus in catalogo Scriptorum eccle-
c. 46. ſiaſticorum, ubi Polycratis de Melitone verba ſic interpretatur: *quid neceſſe eſt, recordari Melitonis in S. Spiritu eunuchi, qui ſemper Domino ſerviens poſitus eſt in Sardis & expectat in adven-*
c. 24. *tu ejus reſurrectionem?* Idem Hieronymus in prædicto catalogo cum Melitonis ſcripta recenſuiſſet, hæc ſubnectit: *hujus elegans & declamatorium ingenium laudans Tertullianus in ſe-*
(Pag. 195.) *ptem libris, quos ſcripſit adverſus eccleſiam pro Montano, dicit eum à plerisque noſtrorum Prophetam putari.* Hunc igitur Melito-

litonem, qui à pleriſque orthodoxis eccleſiæ Doctoribus pro Propheta habitus fuit, inter hæreticos referre durum videatur.

II. Nihilominus tamen Melitonem cum hæreticis illis, qui DEI imaginem in corpore non in anima quærendam docuerunt, aliquid commune habuiſſe, & DEO aliquid corporei tribuiſſe ex eo colligi poteſt, quod librum ſcripſerit περὶ θεȣ̃ ἐνσωμάτȣ. Equidem Sixtus Senenſis in bibliotheca ſua ſancta aſſerit, Melitonem ſcripſiſſe in illud Gen. 1. *faciamus hominem*, de Deo incorporeo librum unum. Verum memoria eum fefellit. Nam apud Euſebium *lib. 4. c. 26.* & Hieronymum *in catal. c. 24.* liber ille Melitonis expreſſe περὶ θεȣ̃ ἐνσωμάτȣ inſcribitur, non ἀσωμάτȣ. Et Ruffinus quidem Euſebii interpres Melitonem de Deo corpore induto in libro illo egiſſe tradit, Chriſtophorſonus de Deo incarnato, itidemque noviſſimus Euſebii interpres Valeſius de incarnatione DEI, quas interpretationes & alii ſequuntur. Verum Colomeſius obſervat, rectius Valeſium in ſecundis ad Euſebium curis *p. 73.* & Cotelerium in notis ad Scriptores Apoſtolicos *p. 427.* vertere περὶ ἐνσωμάτȣ θεȣ̃ de Deo corporali vel corporeo, cum in iſto ſcripto Melito contenderit, Deum corporalem eſſe, idque ex variis ſcripturæ locis comprobaverit. Sane Gennadius Maſſilienſis *in tractatu de dogmatibus eccleſiaſticis* Melitonem aliquid corporeum in Deo agnoviſſe tradit, & Origenes apud Theodoretum *in quæſt. 20. ad Geneſ.* cum quæſtionem moviſſet, utrum imago Dei in corpore an in anima conſiſtat, prius aſſeri à Melitone ſubnectit, eumque dicit συγγράμματα & ſcripta reliquiſſe, quibus probare anniſus fuerit, ἐνσώματον εἶναι τὸν θεὸν, cujuſque & aliorum cum ipſo ſentientium hæc fuiſſe argumenta refert, quod oculi, aures, nares, brachia, aliaque membra Deo tribuantur, & quod Patribus V. T. in humana forma apparuiſſe memoretur. Atque hinc omnino colligi poteſt, Melitonem Sardenſem Deum corporeum crediſſe, etſi id neget Ludovicus Ferrandus in notis ad Pſalmum V. à prædicto Colomeſio allegatis.

l. 4. p. 178.

in paraliſom. ad Cave chartophyl. edit. quart. p. 256.

cap. 4.

(*Pag. 196.*)

III. Neque mirum Melitoni aliquid humani contigiſſe, cum vel in celeberrimis eccleſiæ luminibus nonnunquam aliqua doctrinæ deliquia deprehendere liceat. Fruſtra enim Gilbertus Genebrardus in Magdeburgenſes debacchatur, quod in Patribus ſecundi ſeculi inclinationem quandam doctrinæ, nævos & incommodas opiniones annotaverint, cum ſubinde nævos quosdam in Patribus etiam Pontificii Doctores obſervent, quorum confeſſiones Gerhardus *T. 1. conf. cathol. p. 565.* Rivetus *in tract. de Patrum autoritat. c. 9.* & alii collegerunt. Scilicet id Genebrardo imprimis propoſitum erat, ut Centuriatorum impietatem, mendacia, & impoſturas coargueret, quem ſcopum & in ipſo partis ſecundæ titulo & in epiſtola dedicatoria ad Claudium Burgeſium indicat. Verum qui tanto tumultu ac boatu aciem ſuam adverſus Centuriatores Magdeburgenſes directam jactavit, promiſſis ſuis adeo non reſpondit, ut montes magno conatu parturientes ridiculum tandem murem peperiſſe haud immerito cenſeat Montacutius.

*in chronograph. part. 2. p. 517.*

*in præfat. ad apparat. orig. eccleſ. theſ. 56.*

(*Pag. 197.*) IV. Cum vero Melito Deum corporeum eſſe putaverit, fieri potuit, ut poſtea hæretici, qui imaginem DEI corpori potius quam animæ impreſſam docuerunt, & forte ad Melitonis autoritatem provocarunt, Melitonii dicti fuerint, quamvis ab Autore prædeſtinati non Melitonii ſed Homuncionitæ appellentur, ut jam ſupra *Sect. 1. c. 6. theſ. 4.* notavimus. Certius de Melitonis ſententia conſtare poſſet, ſi ſcriptum illud Melitonis *περὶ ἐνσωματου* adhuc ſupereſſet. Verum neque illud Melitonis ſcriptum, neque cætera ejus monumenta ad noſtram ætatem pervenerunt. Exigua tantum ex ejus operibus fragmenta apud Euſebium ſervantur. Alia quædam ex chronico Alexandrino & catenis græcis Petrus Halloixius *de Scriptor. eccl. orient. tom. 2. p. 834.* collegit. Quibus addi poſſet fragmentum, quod ex quodam Jacobi Fabri Stapulenſis tractatu excerptum Colomeſius in paralipomenis quartæ editionis *p. 356.* exhibuit. Eum tamen Melitonis librum, qui Clavis Scripturæ dicitur, MSC. extare aſſerit Labbeus *in diſſert. de Scriptor. eccleſ. p. 87.* & *in bibliotheca nova p. 21.* Interim Melito-

litonem erroribus obnoxium fuiſſe non diffitebuntur, qui per Angelum eccleſiæ Sardianæ, ad quem S. Johannes ſcripſit, Melitonem intelligunt, quam ſententiam præter alios Antiochus Brondus in ſuis ad Apocalypſin diſputationibus propugnat, etſi ego iſti ſententiæ adſtipulari nolim. Apocal. III. 1.

V. Cæterum cum Melitonem tanti fecerit Tertullianus, ut eum juxta Hieronymum Prophetæ inſtar habuerit, hunc ipſum de Deo corporeo errorem ex Melitone haurire potuit. Neque tamen ob hanc ſententiam hæreticis adnumerandum Tertullianum putat Auguſtinus, cum forte per corpus Dei naturam vel ſubſtantiam intellexerit, nec aliud innuere voluerit, quam quod Deus non ſit nihil aut inanitas. Idem Auguſtinus alibi obſervat, Tertullianum ſtatuere omne corporale eſſe paſſibile, neque veriſimile videri, adeo ipſum deſipuiſſe, ut Deum quoque paſſibilem crederet. (Pag. 198.) hæreſ. 86. de geneſ. ad liter. lib. 10. c. 25

VI. A Melitone vero dicti etiam videntur MELITANI, quibus Gennadius Maſſilienſis in eccleſiaſticis dogmatibus chiliaſmum tribuit. Cum enim Melito in Apocalypſin Johanneam, qua imprimis Chiliaſtæ ad propugnandam ſuam ſententiam abuti ſolebant, commentarium ſcripſerit, quod ex Euſebio & Hieronymo conſtat, non improbabile videtur, ipſum cum aliis quibusdam hujus ſeculi Patribus chiliasmum aſſeruiſſe. Neque mirum eos qui errorem de piorum poſt reſurrectionem in terra regno per mille annos continuando tenuerunt, à Melitone Melitanos dictos, cum eosdem etiam Papianiſtas à Papia Hierapolitano Epiſcopo dictos jam ſupra monuerimus. Et ob hunc ipſum errorem factum eſt, quod Papias, etſi inter præcipuos ſeculi apoſtolici & apoſtolico proximi ſeculi (in utriusque enim confinio floruit) Doctores referri ſoleat, in veteri Romano martyrologio ut & in Græcorum menæo & menologio nullum locum invenerit. Alia ratio eſt novi martyrologii Romani. In hoc enim Papiæ memoria d. 22. Februarii celebratur, neque ſanctitati ejus Baronius obſtare c. 55. Sect. 1. c. 5. theſ. 7.

Z 2 putat,

putat, quod chiliaſmi opinionem foverit, cum hæc controverſia tum temporis ab eccleſia nondum definita fuerit. Alia mens fuit Bernhardo Luzenburgico, qui in hæreticorum catalogo Papiam hæreticis accenſere minime dubitavit *lib. 1. ſub* (Pag. 199.) *voce Chiliaſta & lib. 3. ſub voce Papias* ſecutus Helinandum, qui in chronico ſuo Papiam Hierapolitanum Epiſcopum hæreticorum, qui Chiliaſtæ vel Millenarii dicuntur, Autorem facit. Verum non tam hæreticæ pravitati quam ſimplicitati tribuendum eſt, quod Papias errori illi addictus fuit. Fuit enim lib. 3. c. 39. juxta Euſebium mediocri præditus ingenio. Et quamvis Euſebius *lib. 3. c. 36. hiſtor. eccl.* contrarium aſſerere videatur, cum ibi Papiam virum imprimis diſertum & ſcripturæ peritum appellat, notavit tamen Valeſius, illud Papiæ elogium nec in MSC. codicibus legi, nec à Ruffino in verſione Euſebii exprimi. Quare non dubitat, quin iſta verba ab imperito aliquo Scholiaſte præter Euſebii mentem adjecta fuerint. Intempeſtivus ergo Halloixii zelus eſt, cum in notis ad vitam Papiæ ea, quæ à Caſaubono in exercitationibus Anti-Baronianis contra Papiæ autoritatem congeſſerat, tanquam meras calumnias & mendacia perſtringit.

CA-

# CAPUT XII.

*de*

## Tatianis, Encratitis, Hydroparaſtatis, Aquariis, Accaophoris, Saccophoris, Severianis, Apotactitis, Apoſtolicis.

I.

MElitonis σύγχρονος fuit TATIANUS Syrus Juſtini Martyris diſcipulus è gentiliſmi tenebris ad lumen orthodoxæ (*Pag.200.*) fidei converſus, ſed poſt Juſtini Martyris obitum in hæreſin prolapſus, quem infinita volumina compoſuiſſe Hieronymus in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum tradit. (c. 29.) Ex his nihil amplius ſupereſt quam oratio ad Græcos ab Euſebio commendata, (lib. 4. c. 29. hiſt. eccl.) quæ Tiguri 1546. cum Antonii & Maximi locis communibus, & 1636. cum Juſtini Martyris operibus Pariſiis prodiit, & Harmonia evangelica, quam una cum Ammonii Alexandrini harmonia latine monumenta orthodoxographa & bibliothecæ Patrum exhibent. Ubi tamen Victorem Capuanum, cujus præfatio utrique harmoniæ præfixa legitur, Tatiani harmoniam cum Ammonii Alexandrini harmonia permutaſſe, eamque, quæ Ammonii titulo gaudet, Tatiano tribuendam eſſe, Baronius ad A. C. 174. & alii pridem animadverterunt. Quamvis non deſint, qui neutram ex duabus iſtis harmoniis Tatiano competere affirment, quos inter Henricus

 Vale-

Valeſius in notis ad Euſebium, & hunc ſecutus Pagi in critica ad annales Baronii ad A. C. 172. quorum ſententia eo magis firmari poſſet, ſi certo conſtaret, Tatianum harmoniam ſuam evangelicam non ſolum ex quatuor quæ nunc habemus evangeliis, ſed etiam ex evangelio ſecundum Hebræos concinnaſſe. Nullum enim evangelii illius ſecundum Hebræos veſtigium in ea harmo-
hæreſ. 46. nia apparet, quam Baronius & alii Tatiano vindicant. Verum etſi Epiphanius evangelicam Tatiani harmoniam à nonnullis evangelium ſecundum Hebræos dictam fuiſſe aſſerat, & Victor Capuanus in præfatione ad Tatiani harmoniam referat, quod Tatianus ſuam harmoniam διὰ πέντε inſcripſerit, ex qua inſcri-
(Pag. 201.) ptione Hugo Grotius *ſub initium ſuarum annotationum in Matthæum* & Gerhardus Johannes Voſſius *in diſſertat. de gener. Chriſti p.* 17. colligunt, quod Tatianus in harmonia ſua evangelica etiam Hebraico Matthæi evangelio uſus fuerit, quod multa in græco textu non extantia continuit, ideoque diverſum quodammodo videri potuit: nondum tamen mihi perſuadere poſſum, quod Tatiani harmonia ex quinque evangeliis conflata fuerit. Euſebius enim ex quatuor exangeliis compoſitam illam Tatiani harmoniam fuiſſe aſſerit, ideoque διὰ τεσσάρων dictam. Quod autem Victor Capuanus eam διὰ πέντε dictam fuiſſe ſcribit, librariorum vel typographorum vitium exiſtimo, & legendum διὰ πάντων, qua inſcriptione indicatur, Tatianum ex omnibus quatuor evangeliis harmoniam ſuam evangelicam contexuiſſe. Neque verum eſſe puto, quod Tatiani harmonia evangelica evangelium ſecundum Hebræos à nonnullis dicta fuerit, quin potius Epiphanium Tatiani harmoniam cum evangelio Nazaræorum confudiſſe exiſtimo. Cæterum Valeſii argumenta, quibus Tatiani harmoniam hodie non ſupereſſe probat, non ſunt omnia ſatis valida. Objicit hodiernum Tatiani diateſſaron nihil aliud eſſe quam paraphraſin quatuor evangeliorum, ſeu potius epitomen eleganter conſcriptam, cum verum Tatiani opus ipſis Evangeliſtarum verbis compoſitum fuerit. Verum unde probabitur, ipſa Evan-
lib. 4. c. 29. geliſtarum verba Tatianum retinuiſſe? Imo cum Tatianus, Euſebio teſte, auſus fuerit dicta Apoſtoli Pauli elegantioribus verbis

bis exprimere, & phraſes ejus corrigere, quid mirum, ſi in harmonia evangelica non ipſa Evangeliſtarum verba ſecutus fuerit? Objicit ulterius tres annos prædicationis Chriſti in edito Tatiani opere diſtingui, cum veteres unum tantum prædicationis annum Chriſto tribuerint. (Pag. 202.) Verum ut omnes veteres unum tantum annum prædicationi Chriſti tribuiſſe ſtatuamus, nulla neceſſitas compellit, imo ex Irenæo contrarium demonſtrari poteſt. Objicit denique, quod cum Tatianum in ſua evangeliorum concordia ea omnia reſecuiſſe conſtet, quæ ad Davidicam Chriſti genealogiam ſpectant, in hodierna Tatiani harmonia Chriſtus filius Davidis haud ſemel appelletur. Et hoc maxime argumento moveor, ut harmoniam, quæ hodie Tatiano tribuitur, ab homine quodam catholico ſcriptam exiſtimem. Etſi enim in hac harmonia Chriſti genealogia à Matthæo & Luca recenſita non compareat, unde Tatianum ejus Autorem eſſe Baronius credidit, compendii tamen potius cauſa quam ex prava hypotheſi factum id videtur. Haud immerito igitur dubitari poteſt, num harmonia evangelica, quam ſub Ammonii Alexandrini nomine Victor Capuanus edidit, Tatianum Autorem habeat. In ea autem harmonia, quam Tatiano Victor Capuanus adſcripſit, & ipſa Chriſti genealogia, & reliqua loca, in quibus ejus ex Davidis ſtirpe nativitas aſſeritur, deprehenduntur, quæ cum Theodoretus in Tatiani opere reſecta fuiſſe ſcribat, multominus hæc conſonantia evangelica Tatiano tribui poterit, niſi dicamus, poſt Tatiani mortem ab aliis hæreticis ea expuncta fuiſſe, & in talia exemplaria Theodoretum incidiſſe, ad Victorem autem Capuanum integrum aliquod exemplar perveniſſe, à qua ſententia B. Chemnitium non alienum deprehendo, qui alteram harmoniam Ammonio Alexandrino in monumentis orthodoxographis aſcriptam forte Theophilum Antiochenum Autorem habere ſuſpicatur. (Pag. 203.) At Theodoretus refert, ipſum Tatianum, cum diateſſaron ſuum ſeu unum ex quatuor evangelium componeret, genealogias Chriſti & reliqua omnia, quæ Dominum Chriſtum ex ſemine Davidis natum oſtendunt, amputaſſe, eoque evangelio uſos non modo qui ſectæ ejus addicti fuerunt, ſed eos etiam, qui apoſto-

lib. 1. hæret. fab. c. 20.

prolegom. in harmon. evangel. c. 2.

poſtolica dogmata ſecuti, compoſitionis fraude non animadverſa illud evangelium compendii inſtar uſurpaſſe, ſe vero ducentos hujusmodi libros nactum omnes in unum congeſtos ſepoſuiſſe & pro his quatuor Evangeliſtarum evangelia introduxiſſe.

II. Tatiani hujus, dum Romæ adhuc orthodoxus verſabatur, diſcipulus fuit Rhodon inſignis ille Marcionitarum
antagoniſta. Ipſe enim in libro quodam, quem Calliſtioni
nuncupavit, refert, ſe Romæ à Tatiano eruditum, & elaboratum fuiſſe à Tatiano librum quæſtionum, quarum ſolutiones
lib. 5. hiſtor. ipſe Rhodon peculiari opere ſe editurum profitetur, ut ex Rho-
eccl. c. 13. done narrat Euſebius. Cum autem Tatianus poſt Juſtini Mar-
hæreſ. 46. ſect. tyris obitum relicta Roma Orientem peteret, in abſurdas opi-
1. niones incidit, ut Epiphanius teſtatur, qui id duodecimo circiter Antonini Pii anno contigiſſe putat. Verum Epiphanius in deſignandis Tatianæ hæreſeos initiis erravit, quemadmodum etiam Juſtini Martyris obitum ad Hadriani tempora perperam retulit, cum apologiæ Juſtini earumque inſcriptio aliud oſtendat, ut alia argumenta taceamus, quæ ſatis evincunt, Juſtinum martyrii palmam non ſub Hadriano obtinuiſſe, quod
poſt Epiphanium Pamelius *in notis ad Tertull. de præſcript. c. 52. p.*
(Pag. 204.) *331.* aſſeruit, ſed vel ſub Antonino Pio, quam opinionem defendunt Valeſius *in notis ad Euſebium p. 77.* & Pearſonius in vita Juſtini, ad quam *in diſſertatione 2. de ſucceſſ. Rom. Pontif. pag. 254.* provocat, vel ſub Marco Aurelio, quæ communior eſt ſententia propugnata nuperrime ab Antonio Pagi *in critic. Ba-*
hæreſ. 48. *ron. ad A. C. 163.* Lapſus quoque Philaſtrius, qui Tatianum poſt Decii perſecutionem vixiſſe tradit. Quem errorem La-
p. 43. tinus Latinius in bibliotheca ſacra his verbis notat: ***non ſic Euſebius in hiſtoria & chronico. Nam M. Antonino Vero regnante cognitum Tatianum ſcripſit, hoc eſt, annis fere 80. ante Decium.***

III. Quod

III. Quod Epiphanius Tatianum non ante in abſurdas opiniones incidiſſe ſcribit, quam Roma diſceſſiſſet, Baronio perquam gratum accidit. Hinc enim Romanæ ſanctitatis commendandæ occaſionem captat, & Tatianum, quamdiu Romæ fuit, fortaſſe multos oculos in ſe inſpicientes, ipſiusque Romanæ eccleſiæ, quam Apoſtoli inſtituiſſent, ſinceriſſimam puritatem veritum fuiſſe, nec quicquam, dum ibi eſſet, catholicæ fidei adverſum docuiſſe. At non veritus fuerat ſinceriſſimam Romanæ eccleſiæ puritatem primogenitus Satanæ Marcion, quem Romæ ſibi obvium Polycarpus habuit, non Cerdo Magiſter Marcionis, non Valentinus, &, ut alios taceam, non ipſe Simon Magus, è cujus amara radice cæteri hæreſiarchæ pullularunt. Quamobrem non eſt, ut in ſinceriſſima illa, quam vocat, Romanæ eccleſiæ puritate tantum ſibi Baronius blandiatur. A. C. 174. p. 178.

IV. Recte autem B. Chemnitius Tatiani exemplo magna ingenia monet, ut diſcant μὴ ὑπερφρονεῖν παρ᾽ ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Occaſio enim, quæ Tatianum, ut novam ſectam conderet, impulit, alia non fuit, quam quod, Juſtino fatis ſuis defuncto, præſumptione Magiſterii elatus & inflatus orthodoxæ fidei ſimplicitatem contemneret, ut Irenæus indicat, qui ipſum in Valentini, Saturnini & Marcionis deliria incidiſſe teſtatur. Et Valentini quidem è ſchola Tatianum egreſſum etiam Clemens Alexandrinus aſſerit. Æones enim quoſdam inviſibiles perinde ac Valentinus commentus eſt. Quod apud Irenæum ſeu potius antiquum Irenæi interpretem in editione Eraſmi & Gallaſii corrupte legitur hoc modo: *Tatianus poſt Juſtini martyrium abſiſtens ab eccleſia & præſumptione Magiſterii elatus & inflatus quaſi præ cæteris eſſe proprium characterem doctrinæ conſtituta, non quoſdam inviſibiles, ſimiliter atque hi, qui à Valentino ſunt, velut fabulam enarrans.* Quæ ex Euſebio corrigi poſſunt. Hic enim Irenæi verba de Tatiano in hiſtoriam ſuam eccleſiaſticam tranſcripſit, quæ ita ſe habent: μετὰ τὴν Ἰουστίνου μαρτυρίαν ἀποστὰς (*Pag. 205.*) prolegom. ad harmon. evang. c. 2. Rom. XII, 3. lib. 1. c. 31. lib. 3. Strom. p. 339. edit. Eraſm p. 50. edit. Gallaſ. p. 84. lib 4. hiſt. eccl. c. 29.

τῆς ἐκκλησίας, οἰήματι διδασκάλου ἐπαρθεὶς καὶ τυφωθεὶς, ὡς διαφέρων τῶν λοιπῶν ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου συνεστήσατο, αἰῶνας τινὰς ἀοράτους ὁμοίως τοῖς ἀπὸ Οὐαλεντίνου μυθολογήσας, quæ Valeſius ita vertit: *poſt Iuſtini martyrium ab eccleſia ſe abrumpens, Doctoris arrogantia elatus ac tumidus, tanquam præſtantior cæteris, novam quandam doctrinæ formam conflavit, æones inviſibiles commentus perinde ac Valentinus.* Hinc & Autor appendicis ad Tertullianum de præſcriptionibus adverſus hæreticos Tatianum totum ſecundum Valentinum ſapere affirmat. Philaſtrius autem de Tatiano dicit, quod æones nuncians ſicut Marcion deliraverit. Ubi nonnulli Philaſtrium emendandum, & pro Marcione Valentinum ſubſtituendum recte monent. Quamvis enim etiam Marcionem perinde ac Valentinum 30. æones coluiſſe ſupra cap. 7. theſ. 12. notatum fuerit, imprimis tamen illa æonum figmenta ad Valentinum ſpectant.

c. 51. (*Pag.206.*)

V. Cum Marcione pariter ac Saturnino id commune juxta Irenæum loco proxime allegato Tatianus habuit, quod matrimonium nihil aliud quam corruptionem & fornicationem eſſe dixit. Quem Tatiani errorem ex Irenæo repetit Euſebius *hiſtor. eccl. lib. 4. c. 29.* Inter alia argumenta, quibus hunc errorem probare contendit, verbis Apoſtoli Pauli abuſus eſt: *qvi ſeminat in carne ſua, de carne & corruptionem metet,* quaſi per ſeminationem in carne quamlibet maris cum fœmina conjunctionem Apoſtolus intelligat, quod argumentum explodit & confutat Hieronymus *lib. 3. comment. ep. ad Galat.* Eundem Tatiani nuptias damnantis errorem notat & refutat Clemens Alexandrinus *lib. 3. Strom.* ubi Tatianum Syrum fuiſſe indicat, & ex ejusdem libro de perfectione ſecundum Salvatorem nonnulla producit. Ibidem tradit, quod Tatianus legem alterius eſſe DEI dixerit, & quod veterem ac novum hominem alio plane modo, ac orthodoxi facere ſolebant, diſtinxerit.

Gal. VI, 8. Tom VI. oper p. 157. p. 335. & 336.

VI.

VI. Parentem noſtrum protoplaſtum à Deo damnatum nec vitæ æternæ conſortem factum Tatianus aſſeruit, ut Irenæus *lib. 1. c. 31.* Euſebius *lib. 4. hiſt. eccl. c. 29.* Epiphanius *hæreſ. 46.* Philaſtrius *hæreſ. 48.* & alii teſtantur, è quibus Autor appendicis ad Tertullianum de præſcriptionibus adverſus hæreticos de Tatiano, *totus,* ait, *ſecundum Valentinum ſapit, adjiciens illud, Adam nec ſalutem conſequi poſſe, quaſi non, ſi rami ſalvi fiant, & radix ſalva ſit.* In hanc Tatiani de Adami damnatione ſententiam inclinavit Rupertus Tuitienſis, cum ſalutem Adami à multis libere negari & à nemine ſatis firmiter defendi aſſeruit, notatus eo nomine à Saliano *in annalibus V. T. ad Annum mundi 930. tom. 1. p. 132.* qui etiam in ſcholiis & annotationibus ad illum annum libri cujusdam meminit, quo pœnitentia Adami aſſerta fuit. Verum ſi non aliis argumentis Adami ſalus probari poſſet, quam libri illius apocryphi autoritate, admodum infirmo fundamento ſententia illa niteretur. Nam ut ipſe quoque Salianus obſervat, Gelaſius illum ipſum librum ut apocryphum proſcripſit, cujus decretum legitur in corpore canonico *diſtinct. 15. c. Sancta Romana eccleſia.* Dixi Gelaſium ejus decreti Autorem eſſe communiorem ſententiam ſecutus, etſi haud ignorem, in manuſcriptis quibusdam codicibus Damaſo, in aliis Hormiſdæ decretum illud tribui, qua de re Pearſonius in vindiciis epiſtolarum Ignatii *part. 1. c. 4.* videri poterit. Non deſunt enim plures codices, qui decretum illud de ſcripturis canonicis & apocryphis Gelaſio adſcribunt. Et obſervant doctiſſimi Benedictini Pariſienſes è congregatione S. Mauri in notis ad novam Ambroſii editionem *Tom. 1. pag. 1266.* in manuſcriptis ante mille annos exaratis Gelaſii nomen huic decreto prænotari. Et quamvis Chiffletius, qui in notis ad Vigilium Tapſenſem *p. 149.* decretum iſtud ex pervetuſto codice Jurenſi publicavit, aliquandiu dubitaverit, ſitne hoc decretum Gelaſio an Hormiſdæ, cujus nomen in prædicto Jurenſi codice decreto huic præfigitur, tribuendum, cum nec in libro de vitis Romanorum Pontificum, nec in collectione Dionyſii inter Gelaſii decreta hujus de ſcripturis canonicis & apo-

(*Pag. 207.*) (*Pag. 208.*)

cryphis decreti veſtigium reperiret, Nicolai tamen I. autoritate, qui in epiſtola 42. Gelaſium hujus decreti Autorem vocat, & multorum probatorum codicum fide in eam perductus fuit ſententiam, ut omnino hoc decretum primum in concilio Romano, cui Gelaſius præfuit circa A. C. 494. ſancitum ſtatueret, etſi poſtea ab Hormisda repetitum, in quinque titulos methodi gratia diviſum, & nonnullis in locis mutatum fuerit.

VII. Inter ea, quæ ex Marcionis ſchola Tatianus hauſit, & illud numerandum, quod veritatem humanæ naturæ in Chriſto
Tom. VI.p. negavit. Sic enim Hieronymus in commentario epiſtolæ ad Ga-
157.edit.Antv. latas Tatianum deſcribit, quod putativam Chriſti carnem introduxerit. Idem Hieronymus in commentario ad Amoſi c. 2. v. 12. alium Tatiani errorem de prohibito vini uſu perſtringit. Cum enim Deus per Prophetam dicto loco Iſraelitas reprehendat, quod Nazaræis vinum propinaverint, hæreſin ſuam inde Tatianus ſtruere nitebatur, aſſerens vinum non bibendum, cum & lege præceptum fuerit, ne Nazaræi vinum biberent, & à Propheta accuſentur, qui Nazaræis vinum propinarunt. Verum reſpondet Hieronymus, ſi Judaicas leges & Nazaræorum ritus eccleſiis velint ingerere Tatiani aſſeclæ, conſequi, ut & *comam nutrire debeant, & uvam paſſam ac viridem non come-*
(Pag. 209.) *dere, & ſuper patre & matre mortuis non ingredi &c.* Vini autem uſum qui prohibuit Tatianus, etiam in ſacris my-
hær. 46. ſect. 1. ſteriis meram aquam adhibendam docuit, ut Epiphanius notavit.

VIII. A Tatiano exorti ENCRATITÆ vel ENCRA-
lib. 1. c. 30. TETÆ, quos vetus Irenæi interpres CONTINENTES appellat. Sed ipſum Irenæum audiamus, cujus de Encratitis
Euſeb. lib. 4. c. 29. verba Euſebii diligentiæ debemus. Sic ergo Irenæus de Encratitis: *ἀπὸ Σατορνίνου καὶ Μαρκίωνος οἱ καλούμενοι ἐγκρατεῖς ἀγαμίαν ἐκήρυξαν, ἀθετοῦντες τὴν ἀρχαίαν πλάσιν τοῦ θεοῦ καὶ ἠρέμα κατηγοροῦντες τοῦ ἄρρεν καὶ θῆλυ εἰς γένεσιν ἀνθρώπου πεποιηκότος, καὶ τῶν λεγομένων παρ' αὐτοῖς ἐμψύχων ἀποχὴν εἰσηγήσαντο, ἀχαριστοῦντες τῷ*

*πάντα*

Digitized by Google

πάντα πεποιηκότι θεῷ, ἀντιλέγουσί τε τῇ τοῦ πρωτοπλάστου σωτηρίᾳ. Καὶ τοῦτο νῦν ἐξευρέθη παρ' αὐτοῖς Τατιανοῦ τινος πρώτως ταύτην εἰσενέγκαντος τὴν βλασφημίαν, i.e. *A Saturnino & Marcione profecti, qui vocantur continentes, docuerunt non eſſe contrahendum matrimonium, reprobantes ſcilicet primitivum illud opificium DEI, & tacite accuſantes DEUM, qui maſculum & fœminam condidit ad propagationem generis humani. Induxerunt etiam abſtinentiam ab eſu eorum, quæ animata appellant, ingratos ſe exhibentes erga eum, qui univerſa creavit, Deum, negant etiam primi hominis ſalutem. Atque hoc nuper apud illos excogitatum eſt, Tatiano quodam primo hujus impietatis autore.*

IX. Hos Encratitas in ea hæreticorum claſſe collocat Clemens Alexandrinus, qui à certa quadam operatione nomen acceperunt. Operatio autem illa, quæ Encratitis nomen dedit, fuit ἐγκράτεια ſeu continentia, quam præ ſe ferebant à certis rebus plane abſtinentes, ut modo ex Irenæo didicimus, nempe ab animatis, & conjugio, ſiquidem Encratitæ οὐ γάμον οὐ παιδοποιίαν ἴσασιν *non nuptias, non liberorum procreationem noverunt*, ut ipſe Clemens Alexandrinus alibi indicat, qui etiam abſtinentiam à vino Encratitis uſitatam in pædagogo ſuo ipſius Chriſti exemplo refutavit. Et Epiphanius quidem Tatianos ac Encratitas ita diſcernit, ut Encratitas ἀπόσπασμα quoddam Tatianorum fuiſſe dicat. Auguſtinus autem & Autor Prædeſtinati Tatianos & Encratitas uno capite continent, è quibus Auguſtinus, *Tatiani*, inquit, *à Tatio* (ſic enim vocat, quem cæteri omnes Tatianum appellant) *inſtituti ſunt, qui & Encratitæ ſunt appellati. Nuptias damnant, atque omnino pares eas fornicationibus aliisque corruptionibus faciunt, nec recipiunt in ſuorum numerum conjugio utentem ſive marem ſive fœminam. Non veſcuntur carnibus, easque omnes abominantur. Prolationes quasdam fabuloſas ſeculorum etiam ipſi ſapiunt. Saluti primi hominis contradicunt.* Plura de iis recenſet Epiphanius, Dicit enim, quod

lib. 7. Strom. p. 549. (Pag. 210.) lib. 1. Strom. p. 223. lib. 2. pædag. c. 2. p. 116. 117. in ſynopſi tom. II. lib. 1. de hæreſ. c. 25. hæreſ. 47.

quod plura principia conſtituerint, & inter ea diabolum retulerint, quod è vetere teſtamento elegerint quicquid libuit, & inter primarias ſuas ſcripturas Andreæ, Johannis, Thomæ & alia acta apocrypha habuerint, quod, etſi continentiam jactaverint, inter mulierculas tamen aſſidue verſati fuerint, eaſque undecunque pellexerint, earundemque miniſteriis uſi fuerint. Idem Epiphanius refert, quod in Piſidia, eaque Phrygiæ parte, quæ aduſta dicitur, ingens eorum numerus ſua ætate inventus fuerit.

(*Pag. 211*) Inter adverſarios autem Encratitarum præter Irenæum & alios fuit Muſanus, cujus elegantiſſimus liber ad quosdam fratres, qui ad Encratitarum hæreſin deſciverant, Euſebii ætate adhuc extitit, ut ipſe in hiſtoria ſua eccleſiaſtica teſtatur. lib. 4. c. 28.

X. Cum vino abſtinerent, & in myſteriis ſuis aqua uterentur Encratitæ, qui apud Honorium Auguſtodunenſem corrupte CREATITÆ appellantur, ab iſta aquæ oblatione HYDROPARASTATÆ dicti ſunt, ut Theodoretus obſervavit. Unde & Timotheus Presbyter in libro de receptione hæreticorum de Encratitis ait: ὗτοι ἀντὶ οἴνου ὕδωρ τῷ Θεῷ προσφέρουσι, διὰ τοῦτο καὶ Ὑδροπαραστάται καλοῦνται, *hi loco vini aquam Deo offerunt, ob quod & Hydroparaſtatæ nuncupantur.* Quod Hydroparaſtatarum nomen etiam in codice Theodoſiano *lib. 16. tit. 5. de hæretic. leg. 7. 9. 11. & 65.* occurrit. Eorundem meminit Baſilius M. *in epiſtola canonica ad Amphilochium can. 1.* & Matthæus Blaſtares *in ſyntagmate alphabetico c. 2. p. 8.* item Concilium generale 6. in Trullo habitum *can. 32.* nec non Balſamon, Zonaras & Alexius Ariſtenus in ſcholiis ad illum canonem Armenis oppoſitum, qui in ſacra menſa vinum aqua non miſcebant, & ad Johannis Chryſoſtomi autoritatem provocabant, qui Chriſtum germen vitis in ſacra menſa adhibuiſſe dixerat, ad quod reſpondent Patres prædicti concilii, Chryſoſtomi ſententiam tantum Hydroparaſtatis oppoſitam eſſe, qui ſola aqua utebantur, nec ex ejus verbis ſequi, quod aqua vino miſceri non debeat. Eſt autem Hydroparaſtatarum nomen paulo generalius, quod non Tatianis modo competit, ſed aliis etiam hæreticis, qui vino abſtinuerunt, vel in ſacris

de hæreſ. c. 40. — lib. 1. de hæret. fabul. c. 20.

ſacris aquam obtulerunt, quales fuerunt ante Tatianos Ebionitæ, quos in myſteriis ſuis panes azymos cum aqua adhibuiſſe ex Epiphanio ſupra in Ebionitarum hiſtoria cognovimus, & poſt Tatianos Manichæi, quos in codice Theodoſiano ſub Hydroparaſtatarum nomine imprimis intelligi Godofredus in annotationibus ad *l. 7. titul.* 5. de hæreticis obſervavit. Anonymus autem Autor, qui collectanea de quibusdam hæreſibus ſcripſit à Stevartio primum edita & in Lugdunenſi Patrum bibliotheca *tom. 27. p. 623.* repetita, Marci Pontici diſcipulos Hydroparaſtatas appellat. (*Pag. 212.*)

XI. Qui vocabulo græcæ originis Hydroparaſtatæ dicti ſunt, AQVARII etiam appellantur, de quibus Philaſtrius his verbis agit: *Aquarii ſic dicti ſunt, qui in ſacramentis cœleſtibus offerunt tantum aquam, non illud, quod eccleſia catholica & apoſtolica facere conſuevit.* De iisdem Auguſtinus iisdem pæne verbis agit *in hæreſ. 64.* *Aquarii*, ajens, *ex hoc appellati ſunt, quod aquam offerunt in poculo Sacramenti, non illud, quod omnis eccleſia.* Quamvis autem peculiare caput Philaſtrius & Auguſtinus in libellis ſuis Aquariis aſſignaverint, quod etiam ab Iſidoro Hiſpalenſi, *lib.* 8. *Orig. c. 5.* Rabano Mauro *lib. 2. de inſtitut. Cleric. c. 58.* Honorio Auguſtodunenſi *in libello de hæreſ. c. 38.* & aliis factum eſt, Danæus tamen in notis ad hæreſin 64. Aquarios ab Encratitis ſolo nomine differre exiſtimat, vel ſaltem Aquarios inauſpicatam quandam Encratitarum propaginem fuiſſe, quos etiam partim à Severianis vini uſum in eccleſia damnantibus, partim ab Helceſaitis, qui aquam pro Deo coluerunt, profectos exiſtimat. Cauſam cur Aquarii loco vini aquam in poculo Sacramenti euchariſtici adhibuerint, Autor prædeſtinati hanc fuiſſe dicit, quod vinum ebrietatem pariat, per quam homicidia, fornicationes & alia ſcelera perpetrantur. Cui objectioni ſic reſpondet, ut aquam etiam & panem, ſi modus in edendo & bibendo excedatur, in vitium verti poſſe dicat, & tandem ſic concludat: *optimum ergo in rebus omnibus modum tenentes, etiam hos,*

hæreſ. 77.

(*Pag. 213.*)

Digitized by Google

*hos anathematizamus, cum cruorem Chriſti à fonte ſeparantes, præjudicio fornicatorum & homicidarum regulam à Chriſto fundatam audacter infringant.*

XII. Videri poſſit, etiam Cyprianum in epiſtola 63. quæ eſt in editione Eraſmi *lib.* 2. epiſtola 3. contra Tatianos & alios Aquarios ſeu Hydroparaſtatas hæreticos calamum ſtringere. Verum ſtatim ſub initium epiſtolæ indicat, eos, quorum ſententiam & conſuetudinem refutare in ea epiſtola aggreditur, ex ignorantia quadam & ſimplicitate in calice Dominico ſolam aquam adhibuiſſe. Neque enim vinum tanquam rem abominabilem averſati ſunt, ſed eum maxime in finem vino aquam in ſacra ſynaxi ſubſtituerunt, ne vini odore à gentilibus proderentur. Atque hinc imprimis, ut ex eadem epiſtola conſtat, in euchariſtia matutinis horis peracta à vino abſtinuerunt, non item in ſynaxi veſperi celebrata. Contra his igitur Cyprianus prolixe diſputat, eoſque ab exemplo Domini recedere oſtendit. Provocat ad typos Noæ vinum bibentis, & Melchiſedeci panem & vinum offerentis variaque dicta veteris teſtamenti adducit, in quibus vini mentio occurrit. Per aquam ſolam in Scriptura baptiſmum deſignari docet, & ſanguinem Chriſti offerri non poſſe, ſi vinum calici deſit, ideoque perverſum eſſe, quod, cum (*Pag.* 214.) Dominus in nuptiis de aqua vinum fecerit, nonnulli de vino aquam facere auſi fuerint. Ad objectionem conſuetudinis reſpondet, Chriſti potius exemplum quam conſuetudinem ſequendam eſſe. Nec eorum conſilium probandum eſſe dicit, qui verentur, ne per ſaporem vini ſanguinem Chriſti redoleant, & vini odore in vitæ periculum incurrant, cum ſic à martyrio fraternitas retardari incipiat, dum in oblationibus de ejus ſanguine confundi diſcit. Nec eos audiendos eſſe monet, qui dicebant : etſi mane ſola aqua offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus. His enim reſpondet, non mane ſed poſt cœnam vinum à Chriſto oblatum fuiſſe, & faciendum eſſe, quod Dominus fecit, quotiescunque calix

calix in commemorationem Domini offertur. Hæc aliaque Cyprianus in illa epiſtola contra ſui temporis Aquarios non hæreticos ſed ex ſimplicitate & ignorantia errantes diſſerit, quibus ſufficienter informatis & inſtructis perverſum illum morem non amplius condonandum decernit. Aquarios autem iſtos Cyprianus ita refutat, ut vini cum aqua miſcendi neceſſitatem perperam urgeat, adeoque nec ſolam aquam nec ſolum vinum ſacro calici infundi oportere exiſtimet, non tam ut Aquariorum animos conciliaret, ſed quod ipſum Chriſtum mixto calice in Sacramenti hujus inſtitutione uſum, nec ab ejus exemplo recedendum eſſe ſibi perſuaderet, & inſuper putaret, adunationem Chriſti cum populo ſuo quaſi tolli, niſi vinum cum aqua populum denotante miſceatur, quaſi ſanguis Chriſti incipiat eſſe ſine nobis, ſi ſolum vinum offeratur, & plebs incipiat eſſe ſine Chriſto, ſi ſola aqua offeratur, quod inter nævos Sanctiſſimi Præſulis referendum eſt. *(Pag. 215.)*

XIII. Timotheus Presbyter in editione Combeſiſiana *tom. 2. auctarii novi bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ p. 451.* hæreticos illos, qui loco vini aquam in myſteriis ſacris uſurparunt, ACCAOPHOROS appellat, & à Tatiano ortos pronunciat. Verba ejus ita ſe habent: Ἀκκαοφόροι, οἱ καὶ Ὑδροπαραστάται ἀπόσπασμα τῶν Τατιανοῦ ὑπάρχοντες, οὗτοι ἀντὶ οἴνου ὕδωρ τῷ θεῷ προσφέρουσι, ὅθεν καὶ Ὑδροπαραστάται κέκληνται i. e. *Accaophori Tatiani ſequacium pars quadam ac reliquiæ ſunt. Hi loco vini aquam Deo offerunt, unde & Hydroparaſtatæ dicti ſunt.* In Poſſeviniana autem & Coteleriana Timothei editione non Accaophori ſed SACCOPHORI appellantur. Et in codice quoque Theodoſiano *l. 7. 9. & 11.* Hydroparaſtatis Saccophori junguntur. Eoſdem Saccophoros Encratitis & Apotactitis jungit Baſilius *M. in epiſtola Canonica ad Amphilochium can. 47.* Eoſdem Apotacticis annexos eſſe aſſerit Epiphanius in epiſtola ad Acacium & Paulum Presbyteros Panario præmiſſa. Et Combeſiſius quidem pro Accaophoris per librariorum vitium barbaram hanc vocem & hybridam minus intelligentium Sacco-

phoros irrepſiſſe putat, cum Encratias aquam obtuliſſe conſtet. Verum cum Saccophororum vox apud Scriptores toties occurrat, ejusmodi hominum genus hac voce denotari videtur, quod ſuperſtitioſa ſacci geſtatione ſanctitatis quandam & humilitatis opinionem affectavit, quales fuerunt illi monachi, quibus σάκκον περιφανῆ ſeu cilicium propalam affectatum Epiphanius
(Pag. 216.) tribuit. Et dubio procul etiam in Alexii Ariſteni ſynopſi ca-
hæreſ. 80. ſect. 6. nonum apud Voellum & Juſtellum bibliothecæ juris canonici Autores *pag. 708.* & in Simeonis Logothetæ epitome canonum ibidem *pag. 740.* pro SACROPHORIS, qui utrobique medio inter Encratitas & Apotactitas loco collocantur, vel Saccophori vel Accaophori reponi debent. Num vero etiam pro SIPHO-
Tom. I. eccl. Græc. monum p. 776. 777. RIS apud Gennadium de eccleſiaſticis dogmatibus *c. 52.* Saccophori legi debeant, quæ Cotelerii eſt ſuſpicio, ulterius eruditis dijudicandum relinquo.

XIV. Aquariis ſeu Hodroparaſtatis annumerandi SEVERIANI ſeu SEVERIANISTÆ ob vini & conjugii deteſtationem Encratitis affines. Dicti ſunt à quodam Severo, quem Tatiano antiquiorem facit Epiphanius de Severianis *hæreſ. 45.* de Tatianis *hæreſ. 46.* agens. Verum Severiani Tatianis poſteriores fuerunt. Unde Tatianorum quidem Irenæus non item Severianorum meminit, ex quo tum nondum ortos fuiſſe colligi poteſt, cum opus ſuum adverſus hæreſes Irenæus ſcriberet. Severianos iſtos cum Tatianis conjungit Origenes, cum verba illa Pauli
Rom. XIV. 17. explicat: *regnum DEI non eſt eſca & potus.* Iſta enim verba dum explicat, perſtringit Severianos & Tatianos, quod putent, non parum eſſe momenti in obſervantia continentiæ eorum ciborum, quos quaſi caſtitati adverſantes etiam Scripturarum autoritate declinandos exiſtimant.

XV. Euſebius, cum ex Irenæo Tatiani & Encratitarum
lib. 4. c. 29. hæreſin delineaſſet, ſubjicit, quod paulo poſt Severus quidam,
(Pag. 217.) cum Tatianæ hæreſi vires & robur addidiſſet, in cauſa fuerit,
ut

ut illius ſectæ homines à ſuo nomine Severiani appellarentur, de quibus ſcribit, quod legem quidem & Prophetas cum evangeliis admittant, ſed proprio quodam ſenſu Scripturas exponant, Pauli autem epiſtolas & Actus Apoſtolorum repudient. Epiphanius inter alia de Severo refert, quod mundi originem hæreſ. 45.
neſcio quibus poteſtatibus & principiis tribuerit, & docuerit, vitem à ſerpente per cœleſtem virtutem in terram dejecto & cum terra congreſſo natam, indeque ſinuoſos vitium flexus ſerpentum ſpiras imitari; mulierem Satanæ opus eſſe, ejusque opus perficere, qui nuptias celebrant, hominis ſuperiorem partem à DEO conditam, inferiorem à mala poteſtate. Auguſtinus de Severianis id præter alia tradit, quod reſurrectionem carnis negaverint. Quod autem dicit, eos vetus teſtamentum reſpuere, à veritate alienum videtur, cum Euſebius eos legem & Prophetas admittere teſtetur. Cætera quæ de Philumena Auguſtinus addit, trajecta videntur, & ad proximum de Apelle caput pertinere. Hieronymus in in- c. 19. p. 18.
diculo hæreſium Severianos ſeu Severianenſes, ut vocat, à Severiano ſic dictos ſcribit, qui eloquentiæ ſpiritu inflatus hanc hæreſin adſtruxerit. Addit, quod tres in anno quadrageſimas fecerint, & in his Xerophagis i. e. ſiccis eſcis utantur. Quod Montaniſtis potius tribuendum videtur. Agit de Severianis etiam Autor chronici Alexandrini *pag. 612.* qui tamen ea tantum refert, quæ Euſebius de iisdem retulerat. Antagoniſtæ Severianorum fuerunt juxta Theo- lib. 1. hæret. fabul. c. 20.
doretum Muſanus & Clemens Stromateus, & Apollinarius Hierapolitanus in Phrygia Epiſcopus, & Origenes. Autor (*Pag. 218.*)
autem Prædeſtinati ab Euphranone Epiſcopo Rhodio Severianos plurimos convictos, & cæteros eccleſiæ communione privatos aſſerit.

XVI. Tatianorum ſeu Encratitarum ſurculus fuerunt quoque APOTACTICI ſeu APOTACTITÆ, unde à Timotheo Presbytero *pag. 379. edit. Coteleriana*, Baſilio M. *in*

*epiſtol. canon. can. 1.* in codice Theodoſiano *titul. de hæreticis l. 7. & 11.* & alibi Apotactitas Encratitis adjungi haud mirum eſt. Dicti autem ſunt Apotactitæ, quod poſſeſſioni rerum propriarum renunciarent, & eos, qui non idem facerent, à communione ſua excluderent. Conjugium præterea averſati ſunt, & errores ſuos ex ſcriptis quibusdam apocryphis confirmarunt. Dicti etiam ſunt APOSTOLICI, etſi Apoſtolis cum aliis in rebus plurimis, tum in hoc diſſimiles, quod lapſos recipere noluerint. Conferantur de his Apotacticis & Apoſtolicis Epiphanius *hæreſ. 61.* Auguſtinus *hæreſ. 40.* Autor Prædeſtinati *hæreſ. 40.* Damaſcenus *hæreſ. 61. &c.* Diſtinguendi autem hi Apoſtolici ab alio quodam Apoſtolicorum genere, quod ſeculo 12. emerſit, de quibus Evervinus in epiſtola ad Bernhardum apud Mabillonium *tom. 3.* analectorum *p. 452.* & ipſe Bernhardus in ſermonibus 65. & 66. ad Canticum videantur.

CA-

# CAPUT XIII.

(Pag. 219.)

de

## Montano, Cataphrygibus, Pepuzianis, Montenſibus, Priſca, & Maximilla, & variis Montani aſſeclis, ubi etiam de Tertulliano, Autore actorum Perpetuæ & Felicitatis et Epiſcopo quodam Romano montanizantibus.

I.

HAud minus quam Tatiani & Severiani inſignem continentiæ & ſanctitatis ſpeciem præ ſe tulerunt hæretici, qui ab Autore ſuo Montano MONTANISTÆ, & à regione, in qua orti & potiſſimum verſati ſunt, PHRYGES & CATAPHRYGES appellantur. Dicuntur etiam PEPUZIANI à Pepuza, oppido Phrygiæ, quod Montaniſtæ pro Hieroſolyma ſua habuerunt, ut ex Epiphanio *hæreſ. 48. ſect. 14. & 49. ſect. 1.* aliisque conſtat. Hos Montaniſtas Dannhavverus in claſſe hære- Chriſteid. p. 531.

 ticorum

ticorum ſanctulorum, & Hagiodæmone, ut loquitur, obſeſſorum, qui Gnoſticis adverſantes in alterum extremum à recta orbita dilapſi ſunt, & lupinam vafritiem pellibus ovinis ingenioſe texerunt, primo loco ponit.

(*Pag.220.*) II. Equidem ſi Hieronymum audiamus, in præcipuo fidei articulo de Trinitatis myſterio ſatis craſſe Montaniſtæ erraruut. Unam enim tantum in Deitate perſonam agnoverunt, docentes, DEUM, cum per Moſen & Prophetas mundum ſalvare non potuiſſet, corpus ſumpſiſſe de Virgine, & mortem obiiſſe, &, quia ne ſic quidem mundum ſalvare potuerit, per Spiritum S. in Montanum deſcendiſſe. Unde & Socrates *lib. 1. hiſtor. eccl. c. 23.* & Sozomenus *lib. 2. c. 8.* Montanum cum Sabellio conjungunt, quemadmodum & Marius Mercator in appendice ad contradictionem 12. anathematiſmi Neſtoriani Montanum erroris illius arguit. Verum cum Tertullianus jam Montaniſta errorem de una Deitatis perſona, quem poſtea Sabellius amplexus eſt, in Praxea confutaverit, Epiphanius quoque & alii veteres Montanum de Trinitate recte ſenſiſſe aperte ſcribant, nec Scriptores Montano coævi hunc errorem ipſi exprobaverint, rectius error ille diſcipulis quibuſdam Montani quam ipſi Montano tribuitur à Theodoreto *de hæret. fabul. lib. 3. c. 2.* & Autore appendicis ad Tertullianum *de præſcript. c. 52.* Conferantur Valeſius *in notis ad Socratem p. 14.* Petavius *lib. 1. de Trinit. c. 6. theſ. 5.* Bullus *defenſ. fid. Nic. p. 65.* Natalis Alexander *ſecul. 2. diſſert. 3.*

epiſtol. 54. ad Marcell.

tom. 2. oper. Mar. Mercat. p. 128.

hæreſ. 48. ſect. 1.

III. Si Cyrillo Hieroſolymitano *in catecheſ. 16.* & Ambroſiaſtro *ad 1. Theſſ. V. p. 392.* item Harmenopulo de ſectis *c. 16.* credimus, Montanus Paracletum ſeu Spiritum S. ſe eſſe jactavit, tantumque obtinuit, ut juxta Euſebium *lib. 5. c. 14. hiſt. eccl.* & Baſilium M. *epiſtol canonic. ad Amphilochium can. 1.* & Gregorium M. *lib. 9. epiſt. 61.* Cataphryges ipſum Paracletum eſſe dicerent. Verum cum Tertullianus Montanum à Paracleto paſſim diſtinguat, (*Pag.221.*) veriſimile non eſt, quod vel ipſe Montanus ſe Spiritum S. eſſe gloriatus fuerit, vel quod ab aſſeclis ſuis pro ipſo Spiritu S. habitus fuerit, etſi perſuaſum ſibi habuerint, Magiſtrum ſuum ſingulari

gulari quadam ratione à Spiritu S. afflatum fuiſſe, ut Philaſtrius *de hæreſ. c.49.* Autor Prædeſtinati *hæreſ. 26.* aliique teſtantur, quos cum prioribus ita conciliat Petavius, ut dicat, Montanum ab initio tantum pro inſigni Paracleti Propheta habitum fuiſſe, poſtea vero Montaniſtas in pejus ruentes Montanum ſuum ceu ipſum Paracletum venerari cœpiſſe. lib. 1. de Trinit. c. 14. theſ. 5.

IV. Præcipuum inter Montaniſtas & Orthodoxos differentia fuit circa poteſtatem clavium, conjugium, fugam in perſecutione & jejunia, ciborumque delectum. Cum enim Montaniſtæ ſeveriori ac ſtrictiori diſciplinæ dediti videri vellent, eccleſiæ adulterium, homicidium, idololatriam aliaque graviora peccata remittendi poteſtatem denegarunt. Unde graviora iſta peccata à Tertulliano in libro de pudicitia, quem pro Montaniſtis adverſus Orthodoxos compoſuit, *c.2. & 9.* irremiſſibilia & inconceſſibilia & *c.20.* immundabilia appellantur. Non tamen ſic vocat illa peccata reſpectu DEI, quaſi ejuſmodi peccatorum nulla venia à DEO ſperari poſſet, ſed reſpectu eccleſiæ, quam in graviorum peccatorum remiſſionem nihil juris habere arbitratus eſt. Inclementiam illam Montaniſtarum erga lapſos in graviora peccata Hieronymus paſſim notat, & in epiſtola ad Marcellum ita deſcribit: *illi ad omne pæne delictum eccleſiæ obſerant fores, nos quotidie legimus: malo pænitentiam peccatoris quam mortem & : numquid qui cadet non reſurget, dicit Dominus? & : convertimini ad me filii convertentes, & ego curabo contritiones veſtras. Rigidi autem ſunt, non, quo & ipſi majora non peccent, ſed hoc inter nos & illos intereſt, quod illi erubeſcunt confiteri peccata quaſi juſti; nos dum pænitentiam agimus, facilius veniam promeremur.* (Pag. 222.)

V. Atque hinc patet, non ſimpliciter verum eſſe, quod Vincentius Lirinenſis commonitorii ſui *c.34.* aſſerit, ante Novatianum neminem fuiſſe, qui DEUM crudelem dixerit, & talem, qui mortem peccatoris mallet, quam ut convertatur & vivat. Habuit enim Novatianus anteceſſorem Montanum, ut Pacianus

in

lib 8.c.15.hiſt. eccl p. 351. in epiſtola 1. ad Sympronianum teſtatur. Atque hinc etiam Philoſtorgius Novatum ex Phrygum familia deſcendere ſcribit. Ad quem locum Godofredus in notis ad Philoſtorgium obſervat, quod reliqui Scriptores omnes Novatum ex Africa prodiiſſe ſcribant. Verum Philoſtorgius videtur non tam patriam Novati indicare voluiſſe, quam originem Novatianæ hæreſeos ad Phrygas ſeu Montani aſſeclas referre voluiſſe, qui ex vico quodam Phrygiæ ortus Phrygum ſeu Cataphrygum hæreſin inſtituit. Non enim ovum ovo ſimilius, quam Montaniſtarum & Novatianorum doctrina circa lapſos, ſiquidem utrique lapſis non ſimpliciter deſperandum docuerunt, omnemque veniæ ſpem lapſis adimendam, ſed poteſtatem lapſos in graviora peccata reconciliandi penes eccleſiam eſſe pernegarunt, adeoque graviorum criminum indulgentiam ſoli Deo relinquendam cenſuerunt, quod de Novatianis Ambroſius *lib. 1. de pœnit. c. 2.* Socrates *lib. 4. hiſtor. eccl. c. 28.* & alii teſtantur, de Montaniſtis Tertullianus *in libro de* (Pag.223.) *pudicit. c. 3. & 18.* qui etiam *c. 21.* arbitratur, quod Apoſtoli graviora peccata pœnitentibus dimittentes extraordinaria quadam poteſtate id fecerint, qua etiam debiles ſanarunt & mortuos ſuſcitarunt. Et quamvis poſtea Tertullianus eccleſiæ poteſtatem peccata etiam graviora dimittendi concedere videatur, ſententiam tamen ſuam ita explicat, ut ſe nomine eccleſiæ DEUM intelligere indicet ſeu Spiritum, in quo eſt Trinitas unius Divinitatis Pater, Filius & Spiritus Sanctus.

VI. Fuiſſe quidem videntur etiam inter orthodoxos eccleſiæ Doctores circa hæc Montani tempora, qui ab ejus in lapſos rigore haud procul receſſerunt. Refert enim Tertullianus in libro de pudicitia, quod etiam à Catholicis Montaniſtarum Antagoniſtis, quos Pſychicos vocat, idololatris, homicidis & mœchis pax olim negata, & ſuo demum tempore mœchis tantum, non item homicidis & idololatris indulgentia conceſſa fuerit. lib. 9. de adminiſtrat. ſacram. pœnit. c. 20. Verum Tertullianum iſta ſcribentem putidi mendacii arguit Morinus. Nam ipſe Tertullianus adhuc orthodoxus in libro de pœnitentia aliter ſtatuit, & argumenta Pſychicorum ſeu Catholicorum, quæ ex ſacra Scriptura contra Tertullianum alioſque

Mon-

Montaniſtas depromebant, idololatriam & homicidium non minus quam mœchiam ſpectabant, qualia ſunt parabolæ ovis & drachmæ perditæ, item dictum illud Johannis: *Sanguis Jeſu Chriſti Filii Dei emundat nos ab omnibus peccatis &c.* Accedit quod Tertullianus *cap. 3.* libri de pudicitia Catholicorum contra Montaniſtas oppoſitionem ita formet, ut ſatis appareat, conſuetudinem Catholicorum fuiſſe, de quibuslibet criminibus pœnitentiam agere, & acta pœnitentia pœnitentibus ab ecclesia veniam dandam eſſe. (*Pag. 224*) Opponere etiam Catholici Montaniſtis ſolebant autoritatem Hermæ Paſtoris, ut ex *c. 10.* libri de pudicitia patet, ubi Tertullianus ad iſtam objectionem reſpondet, ſcripturam Paſtoris, quæ mœchos amat, ipſam quoque adulteram eſſe, nec divino inſtrumento meruiſſe incidi, ſed ab omni concilio eccleſiarum inter falſa & apocrypha judicari. Fueritne verum hoc Tertulliani de Hermæ libro judicium, quem etiam Hieronymus *ad c. 1. Habac.* ſtultitiæ condemnat, Proſper *adverſus collatorem c. 30.* tanquam nullius autoritatis contemnit, Gelaſius inter apocrypha rejicit, an præferenda ſint judicia Irenæi, qui librum hunc ſub Scripturæ nomine *lib. 4. c. 37.* allegavit, Origenis, qui Hermam à Paulo Rom. XVI, 14. ſalutatum hujus ſcripti Autorem aſſerit, idque non modo utile, ſed divinitus etiam inſpiratum exiſtimavit, & aliorum quorundam veterum, qui magni librum hunc fecerunt, unde etiam in nonnullis eccleſiis publice lectum Euſebius *lib. 3. c. 3.* teſtatur, hanc, inquam, controverſiam nolo nunc diſcutere, nec in medium proferre, quæ pro antiquitate & autoritate ejus libri produxerunt Feuardentius *in notis ad Irenæi l. c.* Pearſonius *in vindiciis epiſtolarum Ignatii p. 39.* & qui poſt Jacobum Fabrum, Barthium, Cotelerium & alios noviſſime una cum Barnabæ epiſtola librum illum 1685. Oxoniæ vulgavit Johannes Fell Oxonienſis Epiſcopus, in præfatione libello huic præmiſſa, aut quæ contra hujus libri autoritatem attulerunt Chamier *in panſtratia Cathol. Tom. I. lib. 5. c. 13.* Dallæus *de ſcriptis Ignatii p. 240.* ejusque defenſor Larroquanus *in obſervationibus ad Pearſonianas Ignatii vindicias p. 21.* Blondellus in apologia pro ſententia Hieronymi de epiſcop. & Presbyt. p. (*Pag. 225.*)

16. & 17. & alii. Eſto autem, Scriptorem hunc nulla autoritate & fide eſſe dignum, quod Tertulliano haud invitus conceſſerim, ex eo tamen, quod catholici hunc Autorem Montaniſtis oppoſuerunt, ſatis patet, quod catholici tum temporis nulli crimini veniam negaverint. Hermas enim nullum crimen, ſi pœnitentia acceſſerit, à venia excipit, etſi in eo ſatis rigoris habeat, quod *lib. 2. mandat. 4.* gravioribus ſceleribus unicam tantum pœnitentiam concedat.

VII. Vix igitur probari poterit, quod ante Montanum & adhuc circa Montani tempora orthodoxi quidam eccleſiæ Doctores gravioribus peccatis abſolutionem denegaverint, multo minus probari poteſt, quod primis ſeculis ex univerſali eccleſiæ uſu gravioribus delictis ac imprimis idololatriæ, homicidio & mœchiæ venia conceſſa non fuerit, quod aſſerunt Sirmondus *in hiſtoria pœnitentiæ c. 1.* & Albaſpinæus *lib. 2. obſerv. c. 11. 15. 17.* & alii, qui ne orthodoxos cum Montano conſpiraſſe fateri cogantur, id diſcriminis faciunt, quod orthodoxi non deſperatione indulgentiæ & poteſtatis defectu, ſed tantum diſciplinæ rigore gravioribus peccatis indulgentiam negaverint, non quod eccleſia graviora peccata remittendi poteſtatem non haberet, ſed quod poteſtatis à Chriſto acceptæ uſum ad impiorum terrorem certis finibus circumſcribendum ducerent. Et ſane Cyprianus in epiſtola ad Antonianum, quæ eſt editionis Oxonienſis 55. Pamelianæ & Rigaltianæ 52. teſtatur, ante ſua tempora Epiſcopos quoſdam in Africa adulteris pa-
(*Pag. 226.*) cem dare noluiſſe, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſiſſe, ut alia quædam priſtinæ ſeveritatis exempla taceamus. Verum ejusmodi rigorem in adulteros & alios graviorum criminum reos ab eccleſia priorum ſeculorum ex univerſali quodam uſu probatum fuiſſe, ex particularibus illis exemplis colligi non poteſt. Aliud oſtendit Evangeliſtæ Johan-
lib. 3. c. 23. nis erga latronem perditiſſimum clementia apud Clementem Alexandrinum in libro de ſalute divitum, quem locum etiam
lib. 4. c. 23. Euſebius hiſtoriæ ſuæ eccleſiaſticæ inſeruit, aliud Dionyſii Co-
lib. 5. c. 1. rinthii epiſtola ad Amaſtrienſes apud Euſebium, aliud eccle-

ſia

ſia Lugdunenſis itidem apud Euſebium, Ignatius in epiſtola ad Philadelphienſes *Edit. Voſſ. p. 40.* & alii. Unde Morinus *lib. 9. de pœnitentia c. 20. & ſeqv.* probat eccleſias celebriores Romanam, Carthaginenſem & Orientales omnes non ſolum Cypriani ævo ſed etiam per duo priora ſecula cuilibet crimini poſt actam pœnitentiam veniam indulſiſſe. Et quamvis Petavius olim in animadverſionibus ad Epiphanium *pag. 229.* ſtatuiſſet, Patres Eliberinos, cum idololatriæ reis & aliis in graviora peccata lapſis ne in vitæ quidem exitu communionem concedunt, nihil aliud egiſſe, quam priſcam eccleſiæ diſciplinam vel denuo revocaſſe vel adhuc in Hiſpania vigentem novis legibus adſtrinxiſſe, poſtea tamen in diatriba de pœnitentia & reconciliatione veteris eccleſiæ moribus recepta, quam ſuis ad Syneſium obſervationibus in editione poſteriori A. 1633. procurata inſeruit, probat, in primitiva eccleſia abſolutionem nullis peccatoribus, maxime in vitæ periculo, univerſalis eccleſiæ conſuetudine negatam fuiſſe, atque hinc etiam canones illos Eliberinos, qui nonnullis peccatoribus communionem etiam in vitæ exitu negant, etſi eos olim in animadverſionibus ad Epiphanium de abſolutione Sacramentali interpretatus fuiſſet, mutata ſententia non ſimpliciter de abſolutione, quam Sacramentalem appellare Pontificii ſolent, ſed de perfecta reconciliatione ſeu ejusmodi abſolutione, quæ uſum S. Euchariſtiæ adjunctum habuit, explicat. (*Pag. 227.*) Num omnes canones Eliberini hanc interpretationem admittant, non patitur inſtituti noſtri ratio, ut in præſentiarum diſcutiamus. Contrarium probavit Morinus *lib. 4. de Sacram. pœnitent. cap. 21. & 22. & lib. 9. c. 3.* Interim hoc Petavii aſſertum veriſſimum eſt, quod communis eccleſiæ primitivæ praxis nullis peccatoribus pœnitentia acta abſolutionem à peccatorum nexu denegaverit.

VIII. Ad ſtrictiorem Montaniſtarum diſciplinam & illud ſpectat, quod ciborum delectum habendum ſtatuerunt, variaque jejunia tanquam neceſſaria certis legibus adſtrinxerunt. Equidem & orthodoxa eccleſia ſua jejunia habuit. Jejuniorum enim quartæ & ſextæ feriæ ſeu diei Mercurii & Veneris

lib. 7. Strom. meminit Clemens Alexandrinus, qui labente ſecundo & ineunte tertio ſeculo floruit, cum dicit, verum Gnoſticum non ſolum feria quarta & ſexta jejunia celebrare, ſed & per totam vitam ab avaritia & libidine, vitiis ſcilicet Mercurii & Veneris jejunare. Eorundem jejuniorum mentionem faciunt Origenes *homil. 10. in Leviticum*, Petrus Alexandrinus *ſerm. de pœnit. can. 15.* Hieronymus *in cap. 4. epiſtol. ad Gal.* Epiphanius *in expoſitione fidei.* Auguſtinus *epiſtol. 86.* ut Pſeudo-Clementem *canon. 67.* vel juxta alias edit. *69. apoſtol. & libr. 7. conſtitut. apoſtol. cap. 24.* (*Pag. 228*) Pſeudo-Ignatium *in epiſtol. ad Philippenſes* & alios taceam. Et quarta quidem feria non ob Chriſti comprehenſionem, ut Epiphanius putavit, ſed propter initum à Judæis de proditione Domini conſilium, ut Petrus Alexandrinus teſtatur, ſexta autem feria ob Chriſti paſſionem jejuniis dicata fuit. Et quamvis Tertullianus in libro de jejuniis *cap. 14.* quartæ & ſextæ feriæ ſtationes tantum non jejunia tribuere videatur, cum ait: *cur ſtationibus quartam & ſextam ſabbathi dicamus, & jejuniis paraſceven?* ex aliis tamen Tertulliani aliorumque Scriptorum locis manifeſtum eſt, ſtationem ſæpius nihil aliud quam certam quandam jejunii ſpeciem ſignificare, nempe ejusmodi jejunium, quod non ad ſeram usque veſperam productum, ſed hora nona ab exortu Solis ſeu tertia pomeridiana ſolutum fuit, unde etiam à Tertulliano ſtationum ſemijejunia appellantur. Et cum in Hermæ quoque Paſtore ſtationis mentio fiat, eaque ſtatio de jejunio explicetur, imprimis autem jejuniis quartæ & ſextæ feriæ ſtationum nomen tributum fuerit, hinc Beveregius *libr. 3. codic. can.* illuſtrati & vindicati *c. 10. p. 431.* argumento ſatis elumbi colligit, ab ipſis Apoſtolis ſtationes iſtas & ſemijejunia quartæ & ſextæ feriæ inſtituta fuiſſe. Idem Autor longe majori conatu probare nititur, jejunium quadrageſimale ab Apoſtolica inſtitutione profectum eſſe, & ab ipſis eccleſiæ naſcentis incunabulis celebratum fuiſſe. Verum de jejunio quadrageſimali apud Scriptores Apoſtolicæ & Apoſtolis proximæ ætatis nulla teſtimonia occurrunt.

IX. Producit quidem Beveregius *lib.3. c.7.* codicis canonum illuſtrati locum Irenæi ex ejuſdem epiſtola ad Victorem apud Euſebium: *οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας, οἱ δὲ τεσσαράκοντα, ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν* quæ Ruffinus ita reddidit: (*Pag.229.*) lib. 5. hiſtor. eccl. c. 24. *quidam putant una tantum die obſervari debere jejunium, alii duobus, alii pluribus, nonnulli etiam quadraginta, ita ut horas diurnas & nocturnas computantes diem ſtatuant.* Verum præferenda videtur lectio, quæ ſublata diſtinctione inter voces *τεσσαράκοντα* & *ὥρας* non quadraginta dierum ſed quadraginta horarum jejunium aſſerit. De ejuſmodi enim jejuniis Irenæus veriſimiliter loquitur, quæ in abſtinentia ab omni cibo & potu conſiſtunt. Dicit igitur quoſdam uno die jejunaſſe nempe uſque ad ſeram veſperam ab omni cibo & potu abſtinendo, alios duobus, alios pluribus diebus, quoſdam autem quadraginta horas jejunio deſtinaſſe, ita ut ad Solis occaſum nondum cibum ſumerent, ſed horas etiam nocturnas jejuni tranſigerent, donec quadraginta horæ abſolverentur, reſpondentes circiter tempori quo Sponſus cœleſtis ablatus fuerat. Quis autem per quadraginta dies ita jejunare potuiſſet, ut neque horis diurnis neque nocturnis cibum caperet? Dicit quidem Beveregius *p.397.* non omni cibo per 40. illos dies Chriſtianos abſtinuiſſe, ſed jejunaſſe *ξηροφαγοῦντας*, & pane tantum cum ſale & aqua utentes. Poſtea vero *p.419.* aſſerit, per ejuſmodi Xerophagias jejunium proprie non celebratum ſed ſolutum potius fuiſſe. Si igitur per Xerophagiam jejunium ſolutum fuit; quomodo per 40. dies horis diurnis pariter & nocturnis pro die computatis jejunare potuerunt Chriſtiani? (*Pag.230.*) Multominus alii ex Euſebii chronico probare poterunt, quod jam ſecundo poſt Chriſtum natum ſeculo quadrageſimale jejunium publica lege in eccleſia receptum fuerit. Quamvis enim in nonnullis Euſebiani chronici codicibus legatur, quod quadrageſimale jejunium à Teleſphoro Epiſcopo Romano inſtitutum fuerit, in manuſcriptis tamen codicibus ea verba non habentur & Euſebio afficta ſunt, ut Scaliger in animadverſionibus ad chronicum Euſebii recte monuit, quod pag. 216.

etiam agnoſcit Arnoldus Pontacus in notis ad Euſebium *p. 611.* qui tamen propterea quadrageſimale jejunium à Teleſphoro inſtitutum negat, ne illud ab Apoſtolis inſtitutum negare cogatur.

X. Eſto autem eccleſiam eo ipſo tempore, quo Montani jejunia damnavit, præter jejunia quartæ & ſextæ feriæ etiam quadrageſimale jejunium obſervaſſe, certum tamen eſt, nulla præcepti neceſſitate ad ejuſmodi jejunia adſtrictas fuiſſe illius ævi eccleſias. Nam qua libertate nonnulli feſtum Paſchæ die Dominica, alii præciſe Luna 14. menſis Martii, in quamcunque hebdomadis diem incideret, celebrarunt, eadem libertate nonnulli uno, alii duobus, alii pluribus diebus jejunarunt, ut ex Irenæi
lib. 3. c. 9. epiſtola ad Victorem vidimus. Unde & ipſe Beveregius, qui in aſſerenda jejunii quadrageſimalis autoritate cum Pontificiis conſentit, id negare non audet, quod quadrageſimale illud jejunium liberum fuerit, etſi duas illius quadrageſimalis jejunii dies, nempe Paraſceven & Sabbathum magnum Apoſtolica imo ipſius Chriſti autoritate jejunio adſtrictas exiſtimet. Sic enim de o-
(*Pag. 231.*) rigine illius jejunii diſſerit, primum Apoſtolos illum quo Chriſtus crucifixus eſt diem jejunio quotannis tranſegiſſe: *Cum enim Judæis ſolenne eſſet, ut quiſque diem, quo Pater ipſius mortuus eſt, in ſingulis poſtea vitæ ſuæ annis jejunio conſecraret, nihil rationi & fidei magis abſonum videri, quam ut Apoſtoli diem illum, quo cariſſimus ipſorum Magiſter, & unicus humani generis Servator graviſſimos pro ipſorum aliorumque peccatis cruciatus ipſamque mortem pati dignatus eſt, non jejunarent.* *Quis*, pergit, *ex infimis ejus diſcipulis hoc non faceret? Quis anniverſario illo die redeunte non ſecum reputaret: hoc die Unigenitus DEI Filius pro meis ipſius peccatis ludibrio habitus verberibus laceratus eſt &c. ipſeque hunc diem lætus carnique indulgens tranſigam? Hoc ſaltem die jejuniis lacrymiſque, ob illa quæ Dominum meum cruci affixerunt peccata, me non affligam? Abſit longe longeque abſit.* Non modo difficile ſed & impoſ-

ſibile

ſibile eſſe dicit, talia animo verſantem ejus diei jejunium dedignari, tantoque magis impoſſibile fuiſſe, ut Chriſti diſcipuli, ut Apoſtoli, qui aliquot cum eo annis converſati fuerant, & divina ejus præſentia ac favore tamdiu beati fuerant, ſummo animi angore non afficerentur, quoties anniverſarius ille dies rediret, quo dilectiſſimus Dominus impia Judæorum manu oculis ipſorum ereptus fuerat: nullo autem modo dolorem ſuum ob Domini paſſiones magis manifeſtum reddere vel exercere potuiſſe, quam ſi diem illum eique proximum, quo Chriſtus in ſepulchro jacuit, jejunio fletibuſque devoverent, & ſic verba Chriſti implerent: *venient dies, cum auferetur ab iis Sponſus, & tunc jejunabunt.* Matth. IX, 15. Ex quibus verbis colligit, dies illos, quibus Chriſtus in cruce expiravit & in ſepulchro quievit ſtrictiſſime ab Apoſtolis (*Pag.* 232.) ad jejunium commendatos fuiſſe: poſtea viros quoſdam Apoſtolicos pro ſummo, quo in Chriſtum flagrabant, amore non ſolum duos illos dies in Evangelio determinatos verum & alios jejunio deputaſſe, uſque adeo, ut nonnulli ipſum 40. dierum jejunium à Chriſto celebratum quodammodo adumbrare conarentur, illorumque ſtudium Apoſtolos reprehendere noluiſſe, ſed maximopere approbare potius, cum ad incitandam pietatem & ſubjugandam carnem hoc inſtitutum facere videretur: neque tamen Apoſtolos tot dierum jejunium omnibus imponere voluiſſe, quoniam æqualiter ab omnibus obſervari non poſſet, atque inde factum putat, quod aliqui jejunium antepaſchale per quadraginta dies continuaverint, idemque tanquam ab Apoſtolis acceptum tradiderint, tandemque quadrageſimale jejunium eccleſiæ conſuetudine roboratum fuerit. Hæc Beveregius. At Chriſti verba ſatis impleta ſunt, cum Apoſtoli Chriſtum mortuum & ſepultum deflerent & in luctu illo omnem cibum faſtidirent. Nec ex verbis illis exſculpi poteſt, quod duo dies quotannis ab Apoſtolis aliiſque Chriſtianis in memoriam paſſionis & ſepulturæ Dominicæ ex Apoſtolorum ipſiusve Chriſti mandato jejuniis conſecrandi fuerint. Unde etiam aliquot Chriſtiani, ut Irenæus teſtatur, uno tantum die jejunarunt, quos nemo propterea tanquam divinæ aut apoſtolicæ inſtitutionis transgreſſores damnavit.

XI.

XI. Equidem haud diffiteor, non noſtra demum vel Patrum noſtrorum ætate, ſed jam in primitiva eccleſia verba illa Chriſti de jejunio ob ablationem ſponſi nonnullos de determinato quodam jejunii tempore explicaſſe videri. Sic enim Tertullianus de catholicis loquitur: *in evangelio illos dies determinatos putant, in quibus ablatus eſt Sponſus &c.* Verum iſta Tertulliani verba hunc ſenſum habent, quod *in evangelio*, hoc eſt, ut Rigaltius exponit, hodie apud Chriſtianos catholici, quos Pſychicos Tertullianus appellat, illos dies, quibus Chriſtus mortuus & ſepultus eſt, ad jejunia communi & quaſi publica religione determinaverint. Neque tamen ex ulla Chriſti vel Apoſtolorum vel eccleſiæ apoſtolicæ lege determinatio illa facta eſt, ſed cum primum nonnulli ultro & ſponte ſua illius temporis jejunium celebraſſent, exemplo hoc alii quoque, ut idem facerent, permoti ſunt, & ſic tandem paſchale illud jejunium *communi*, ut Tertullianus alibi loquitur, *& quaſi publica religione* obſervatum fuit. Quod autem imprimis paſſionis Dominicæ tempus jejunio dicaverint, inde factum eſt, quod illud tempus ipſe Chriſtus de jejunio ob ablationem ſponſi loquens quodammodo deſignaſſe videretur, non quod Chriſtus in illis verbis tale jejunium his diebus quotannis obſervandum præceperit, ſed quod in verbis illis occaſionem dederit, hoc potius quam aliud tempus ad ſtatum & ſolenne jejunium conſecrandi. Sane Chriſtum in illis verbis aliquam jejunii legem ſanxiſſe nullo modo probari poteſt. Neque poſt Chriſtum Apoſtolos aliqua lege paſchale hoc jejunium inſtituiſſe demonſtrari poteſt. Apoſtoli potius frequenter Chriſtianos monuerunt, ne Judaico more ad ciborum delectum aut certorum temporum obſervationes conſcientias ſuas adſtringi paterentur. Et argumenta catholicorum à Tertulliano in libro de jejuniis adducta evidenter oſtendunt, quod paſchale etiam vel antepaſchale jejunium libere, non coacte, ex arbitrio, non ex imperio ſervaverint. Atque hinc etiam tanta quoad durationem antepaſchalis jejunii varietas, aliis unum, aliis duos, aliis plures dies, aliis 40. horas ad jejunium illud deputantibus. Si quis autem ex orthodoxis in cele-

(Pag. 233.) de jejun. c. 2. obſerv ad Tertullian. p. 118. de orat. c. 14. (Pag. 234.)

celebrando hoc jejunio neceſſitatem aliquam ſibi perſuaſit,quo ſpectare videtur illud quorundam apud Irenæum in epiſtola ad Victorem, ὅτι δεῖ νηστεύειν, privata illa opinio fuit,non publica totius eccleſiæ ſententia.

XII. Longe major & evidentior fuit in reliquis jejuniis eccleſiæ libertas. Unde Tertullianus catholicos ita loquentes inducit: *de cætero differenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ diſciplinæ, pro temporibus & cauſis uniuscujusque; ſic & Apoſtolos obſervaſſe nullum aliud imponentes jugum certorum & in commune omnibus obeundorum &c.* quorum verborum ulterior explicatio & vindicatio apud Dallæum *lib. 3. de jejuniis & quadrageſ. c. 8.* legitur. Neque etiam ad ciborum aliquem delectum ulla lege ſe catholici adſtrictos putarunt. Quamvis enim nonnulli interdum pane & aqua victitarent, ut cuique viſum erat, reſpondebant tamen, hæc ex arbitrio non ex imperio eſſe agenda, ut Tertullianus catholicorum ſententiam exponit. de jejun.c.13. Inter eos, qui auſterum vitæ genus amplexi aqua tantum & pane victum ſuſtentabant, fuit Alcibiades, qui poſtea per Attali viſionem monitus cunctis promiſcue cibis uti cœpit, ut refert epiſtola Viennenſis & Lugdunenſis eccleſiæ apud Euſebium *l. 5. c. 3. hiſtor. eccleſ.*

XIII. In tanta libertate circa jejunia celebranda cum orthodoxi verſarentur, Montanus jejunia certis legibus adſtrinxit, ut tradit Apollonius apud Euſebium *lib. 5. cap. 18.* quod à Theodoreto repetitur *lib. 3. de hæretic. fab. c. 2.* ubi dicit, quod Montanus novas jejuniorum leges præter eccleſiæ conſuetudinem introduxerit. (*Pag. 235.*) Quod tamen non ſic intelligendum eſt, quaſi jam antea eccleſia certas quasdam jejuniorum leges habuerit, & Montanus tantum novas quasdam leges & ab eccleſiæ legibus diverſas introduxerit. Nam illo tempore nullæ in eccleſia orthodoxa jejuniorum leges erant. Atque hinc etiam Apollonius ſimpliciter de Montano dicit: οὗτός ἐστιν ὁ νηστείας νομοθετήσας *hic eſt qui jejuniorum leges impoſuit.*

Quales illæ Montani leges fuerint explicat Tertullianus, cum in libro de jejuniis *c. 1.* dicit: *arguunt nos, quod jejunia propria cuſtodiamus, quod ſtationes plerumque ad veſperam producamus, quod etiam Xerophagias obſervemus &c. & c. 15. quantula apud nos eſt interdictio ciborum? duas in anno hebdomadas Xerophagiarum nec totas, exceptis ſcilicet ſabbathis & dominicis, offerimus Deo, abſtinentes ab iis quæ non*
ep. 54. *rejicimus ſed differimus.* Hieronymus autem Montaniſtarum jejunia ſic deſcribit: *illi tres in anno faciunt quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Salvatores.* Cæterum Montaniſtæ jejunii tempore à cibis quibusdam abſtinebant, non quod eos, quod aliis quibusdam hæreticis ſolenne erat, in ſe malos exiſtimarent, ſed ex diſciplina à Montano præſcripta, unde Tertullianus ad dictum 1. Tim. IV, 3. reſpondet, da-
c. 15. de jejun. mnari à Paulo Tatianos, Marcionitas, horumque ſimiles, qui opera Creatoris deſpiciebant, & deſtruebant, quales apud Pa-
(Pag. 236.) racletum Montani non inveniantur, unde etiam diſtinguit inter eos, qui cibos quosdam tantum differunt, quod Montaniſtæ faciebant, & inter eos, qui plane rejiciebant, cum aliud ſit ex officio, aliud ex faſtidio cibis quibusdam abſtinere, aliud in honorem Creatoris, aliud in ejusdem convitium ciborum
hæreſ. 48. quodam delectu ad tempus uti. Unde dubio procul injuriam Montaniſtis fecit Epiphanius, cum eos dicit cibis quibusdam abſtinere non diſciplinæ gratia, ſed quod ea, quæ à Domino facta ſunt, abominabilia judicent. Quantum autem Montaniſtæ in jejuniis ſuis ſibi placuerint, quantum meriti illis tribuerint, quibus armis orthodoxos impugnaverint, quibus conviciis libertatem Chriſtianam traduxerint, nimis longum eſſet hic referre.

XIV. Videant modo Pontificii, quomodo doctrinæ ſuæ de jejuniis cum Montaniſtarum doctrina conſenſum & harmoniam declinare poſſint. Tentavit id jam pridem Bellarminus *Tom. IV*, controv. de bonis operibus in particul. *lib. 2.*

*cap.*

*cap.9.* Tentarunt & alii, & in his Natalis Alexander *ſecul.2. diſſert. 4.* Ægre certe effugient, ſi attente legant, quæ Chemnicius *in exam. concil. Trid. part. 4. p. 784.* Bebelius *in antiquit. ſecul. 2 p. 395. & ſeqv.* & alii de hoc Pontificiorum cum Montaniſtis conſenſu obſervarunt. Unicum ex Dallæo nunc annotare placet, nempe tantam eſſe inter Pontificios & Montaniſtas in doctrina de jejuniis harmoniam, ut Martinus Pereſius ſibi perſuaſerit, Tertullianum in libro de jejuniis catholicam, ſi Pontificiam ſic appellare fas eſt, de jejuniis doctrinam propugnare, Pſychicos autem, contra quos diſputat Tertullianus, hæreticos eſſe Lutheranis ſimiles. Scribit enim *de tradit. part. 3. de jejun. p. 263.* *Error fuit olim Pſychicorum i. e. animalium hominum, qui jejuniorum præſcriptiones damnabant, dicentes ſuo arbitrio relinquendos eſſe homines in jejuniis, quos Tertullianus damnat, & efficaciter convincit in tractatu, quem edidit contra eos, ſatis eccleſiaſtico & erudito.* Addit poſtea, hunc Pſychicorum errorem Aerianos primum ſecutos & poſtea Lutheranos. *Nos vero Pereſi*, Dallæi etſi non Lutherani verbis utiliceat, *iſtos Pſychicos libenter amplectimur, neque nos de horum ſanguine prognatos eſſe pudet ac pœnitet. Noſtri illi ſunt fatemur. Vos* (ſimul enim cum Pereſio Turrianum alloquitur) *in tota hac cauſa Tertulliani clientes, & illius quem defendit Paracleti proles ac fœtura eſtote, nos vobis hanc gloriam non invidemus.* (Pag. 237.)

XV. Alius Montani error fuit, quod ſecundas nuptias damnavit. Unde Autor Prædeſtinati de Cataphrygibus: *Secundas nuptias pro fornicationibus habent, & ideo dicunt eas permiſiſſe Apoſtolum Paulum, quia ex parte ſciebat & ex parte prophetabat. Nondum enim venerat quod perfectum eſt, hoc autem perfectum in Montanum & in ejus Propheteſſas veniſſe delirant.* Ac cogitari poſſit, num forte Montaniſtæ hunc errorem etiam Athenagoræ apologiæ pro Chriſtianis adſperſerint, quod de Encra-

cratitis vel Tatiano præſumit Geſnerus in notis ad Athenagoram. Sic enim in apologia illa legitur: ὁ δεύτερος γάμος εὐπρεπής ἐστι μοιχεία *ſecundæ nuptiæ ſunt ſpecioſum adulterium*, quod ibidem inconvenienter ex dicto illo Chriſti probatur: ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται. Verum dubio vix caret, Patres nonnullos & eccleſiæ Doctores, dum Gnoſticorum libidines acriter inſectarentur, in nimium virginitatis & continentiæ amorem raptos, & hinc etiam ſecundis nuptiis infeſtiores factos. Unde non ſolum Athenagoras ſed plures etiam alii, qui à Gerhardo in Loc. de Conjug. theſ. 191. adducuntur, ſecundas nuptias improbarunt. Montanus vero non ſolum ſecundas nuptias improbavit, ſed etiam λύσεις γάμων ſeu diſcidia nuptiarum docuit, ut Apollonius apud Euſebium *lib.* 5. *c.* 18. teſtatur.

(*Pag.* 238.)

XVI. Fugam præterea in perſecutione illicitam eſſe Montanus cenſuit, nec perſecutionem pretio redimendam eſſe, ut ex Tertulliani de fuga libro aliiſque antiquitatis monumentis conſtat. Tantum ſcilicet martyrii amorem præ ſe ferebant. Unde etiam plures è ſuo numero martyrio coronatos jactabant, quod certiſſimum Prophetici, quem ſe habere gloriabantur, ſpiritus indicium eſſe prætendebant. Verum antiquus quidam Autor ab Euſebio *lib.* 5. *c.* 16. allegatus in tertio, quod adverſus Montani hæreſin conſcripſit, volumine reſpondet, etiam alios hæreticos martyria jactare, penes quos veritatem non eſſe certo certius conſtet. Quod Marcionitarum exemplo probat. Idem ille Autor in ſecundo volumine negat, quenquam ex Montaniſtarum numero pro Chriſto vincula & mortem ſubiiſſe.

XVII. Apud Montaniſtas Epiſcopi non primum ſed tertium locum tenuerunt. Primum enim locum Patriarchæ de Pepuza Phrygiæ, & ſecundum Cenones habuerunt, ut refert Hieronymus *in epiſtol.* 54. ad Marcellam. Et fortaſſe Patriarchas illos de Pepuza canon 8. Laodiceni concilii Montaniſtarum maximos appellat, qua de re Gundlingius in notis ad concilium Laodicenum *p.* 82. & ſequentibus videatur. Quod mortuos baptizaverint

(*Pag.* 239.)

rint

rint Montaniſtæ Autor eſt Philaſtrius *c.48. de hæreſ.* Quæ vero de nefandis Montaniſtarum myſteriis ab eodem Philaſtrio referuntur, ut & ab Auguſtino *de hæreſ. c. 26.* Cyrillo Hieroſolymitano *catechef. 16. p. 178.* Pſeudo Hieronymo *in indicul. hæreſ. c. 20.* qualia nefanda myſteria etiam Quintillianis Auguſtinus tribuit *hæreſ. 27.* Epiphanii fidem ſecutus, qui idem de Quintillianis *hæreſ. 48. ſect. 15.* tradiderat, ea in dubium vocat Autor Prædeſtinati *hæreſ. 26.* Et Hieronymus quoque famæ illi fidem non adhibet *in epiſtol. 54.* Et hæc forte myſteria illa ſunt, quorum exprobrationem Montaniſtæ juxta Theodoretum *lib. 3. de hæret. fab. c. 2.* pro calumnia habuerunt. Qualia autem illa Montaniſtarum myſteria fuerint, jam ſupra *cap. 4. theſ. 8.* ex Auguſtino retulimus, ubi de Quintilla & Quintillianis actum eſt. Etſi enim Epiphanius & alii hunc ſecuti Quintillianos ad Montaniſtas referant, ad Cajanos tamen illam ſectam referre maluimus.

XVIII. Haud parum autoritatis Montanus ſibi conciliavit viſionum & prophetiarum jactantia, qua multorum animos in fraudem inductos colligi poteſt ex Euſebio *lib. 5. c. 3.* ubi narrat, eo tempore, cum Montanus & Alcibiades & Theodotus in Phrygia primum opinione hominum tanquam Prophetæ celebrari cœpiſſent, plurimos putaſſe, revera Montanum prophetiæ dono inſtructum, cum præſertim multa divinæ gratiæ miracula tum temporis adhuc in eccleſiis fieri ſolerent. Verum vanam fuiſſe Montani & aſſeclarum ejus jactantiam oſtendit Autor quidam antiquus apud Euſebium *lib. 5. c. 16.* & Miltiades apud eundem Euſebium *c. 17.* & Apollonius *c. 18.* qui ſectæ hujus prophetas inde vanitatis arguit, quod capillos ſuos tinxerint, oculis ſtibium illeverint, tabula & teſſeris luſerint, pecuniam fœnori locaverint. Quamvis ea, quæ de Montano ejuſque aſſeclis antiqui illi Scriptores referunt, tam plena eſſe declamatoriæ vanitatis Rigaltius in ſua ad Tertullianum præfatione judicet, ut ægre fidem mereantur. *(Pag. 240.)*

XIX. Quis fuerit antiquus ille Autor, ex cujus volumini-

bus contra Montanum ſcriptis Euſebius *lib. 5. c. 16. 17.* nonnulla excerpſit, non conſentiunt eruditi. Sunt qui putent, Apollinarium Hierapolitanum Epiſcopum fuiſſe illorum voluminum Autorem, qui ducem hujus ſententiæ habent Ruffinum Euſebii interpretem. Et hanc opinionem ſuam etiam facit Baronius. Verum aliter videtur Petro Halloixio *Tom. II. de illuſtr. orient. eccleſ. Scriptor. p. 816.* Dicit enim, quod neque Euſebius dicat Apollinarium fuiſſe iſtorum voluminum Autorem, nec ejus opinionis Autores ullam rationem indicare poſſint, cur Apollinarium iſtorum voluminum Autorem faciant. Contrarium autem ex eo evinci poſſe putat, quod Apollinarius contra hæreſin Montani primum exorientem, Autor vero ille poſt mortem Montani & Maximillæ ſcripſerit, præterea quoque Autor illorum voluminum de Phrygia tanquam regione quadam peregrina loquatur, quod Apollinario minus competit. Et Halloixius quidem exiſtimat, ne ipſum quidem Euſebium nomen illius Autoris cognitum habuiſſe. Hieronymus in catalogo Scriptor. eccleſ. videtur Apollonium illorum voluminum Autorem facere. Verum cum Eu-
(*Pag. 241.*) ſebius *lib. 5. c. 16. p. 98.* verba quædam ex illo Autore antiquo referens ſtatim addat: ἐν τῷ ἀυτῷ λόγῳ τῷ κατὰ Ἀςέριον Οὐρβανόν, hinc Valeſius in notis ad Euſebium colligit, Aſterium Urbanum fuiſſe illorum voluminum Autorem. Hanc Valeſii ſententiam improbat Stephanus Baluzius in nova collectione conciliorum *pag. 5. & 6.* & pro Apollinario pugnat, variaque teſtimonia producit, quæ Apollinarium contra Montaniſtas ſcripſiſſe tradunt. Verum id Valeſius non negaverit, quod Apollinarius contra Montaniſtas ſcripſerit. Illud in quæſtione eſt, an volumina contra Montanum, ex quibus Euſebius *lib. 5. cap. 16.* nonnulla retulit, ab Apollinario ſcripta ſint? Negat Valeſius ob rationes ab Halloixio productas, ad quas nihil à Baluzio reſponſum video.

XX. Quo tempore & qua occaſione Montanus hæreſin ſuam exorſus fuerit, antiquus ille Autor, quisquis fuerit, ſic exponit, ut dicat Montanum immodica φιλοπρωτείας cupiditate

tate captum primum ſub Grato Aſiæ Proconſule aditum in ſe adverſo ſpiritui præbuiſſe. Ab hoc igitur Montano MONTANISTÆ dicti, quo vocabulo aliter utitur Philaſtrius, cum Donatiſtis Montaniſtarum nomen tribuit, qui alias frequentius Montenſes appellantur, ut ex optato Milevitano, Auguſtino, aliisque Autoribus manifeſtum eſt, quorum teſtimonia colligit Chiffletius in notis ad Vigilium Tapſenſem *pag. 143.* Et Epiphanius quidem in Ancorato *c. 13.* etiam Novatianos *Μοντησίους* ſeu Montenſes appellatos fuiſſe ſcribit. Verum memoriæ lapſu Novatianis tribuit, quod Donatiſtis tribuendum erat, niſi forte Novatiani Montenſes dicti ſint à Novati (*Pag.242.*) ſatellite Feliciſſimo, qui portionem plebis cum Epiſcopo ſuo diviſit, & in monte quodam conventus ſuos habuit, qua de re Cyprianus *in epiſtol. 41. edit. Oxon.* videri poterit, ubi Oxonienſis Epiſcopus annotavit, montes tanquam loca cœlo proxima ſemper venerationem habuiſſe, & veriſimile videri, montem, in quo Feliciſſimus conventus ſuos habuit, fuiſſe locum quendam in urbe Carthagine, qui montis nomine ob altiorem ſitum gaviſus eſt. Fallitur autem dubio procul Marianus Victorius Reatinus, cum in indice ad opera Hieronymi per MONTENSES apud Hieronymum Montani ſectatores intelligi dicit, ſiquidem Donatiſtæ potius ab Hieronymo ſic appellati fuerunt.

XXI. Socias ſibi mulierculas adjunxiſſe Montanum omnes pene tradunt, qui ejus hæreſin recenſent. Fuerunt autem iſtæ mulierculæ PRISCA, quam nonnulli PRISCILLAM vocant, & MAXIMILLA, quam non minus ac ipſum Montanum laqueo gulam fregiſſe refert Aſterius Urbanus apud Euſebium *lib. 5. c. 16.* Ejuſmodi vero Montani prophetiſſa fuit dubio procul etiam illa, ex cujus revelatione Tertullianus animam corpoream & effigiatam eſſe didicit. *Eſt hodie*, inquit, *ſoror apud nos revelationum chariſmata ſortita, quas in eccleſia inter Dominica ſolennia per ecſtaſin in ſpiritu patitur, converſatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt & audit ſacramenta, & qua-*

*& quorundam corda dignoſcit, & medicinam deſiderantibus ſubmittit. Jam vero prout Scripturæ leguntur, aut pſalmi canuntur, aut allocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiæ viſionibus ſubminiſtrantur. Forte neſcio quid de anima diſſerueramus, cum ea ſoror in ſpiritu eſſet. Poſt transacta ſolennia dimiſſa plebe, quo uſu ſolet nobis renunciare quæ viderit, (nam & diligentiſſime digeruntur, ut etiam probentur) inter cætera, inquit, oſtenſa eſt mihi anima corporaliter, & ſpiritus videbatur, ſed non inanis & vacuæ qualitatis &c.* (Pag. 243.)

XXII. Fuerunt inter Montani aſſeclas THEODOTUS quidam, cujus miſerabilem interitum narrat Aſterius Urbanus apud Euſebium *lib. 5. c. 16.* Præterea THEMISON de quo etiam Aſterius Urbanus apud Euſebium *l. c.* & Apollonius apud eundem *lib. 5 c. 18.* ALEXANDER, de quo itidem Apollonius *l. c.* videatur, item ALCIBIADES & MILTIADES ab Euſebio *lib. 5. c. 3.* memorati. Atque hic Miltiades ab alio quodam Miltiade diſtinguendus eſt, qui cum Apollinario, Apollonio, Serapione, Aſterio Urbano & aliis Montani hæreſin impugnavit, ut patet ex Euſebii *lib. 5. c. 17.* Neque inter aſſeclas Montani ſilentio prætermittendi ÆSCHINES & PROCLUS, qui apud Theodoretum PATROCLUS appellatur, & à Cajo refutatus eſt. Qualis autem fuerit inter Procli & Æſchinis diſcipulos differentia, exponit Autor appendicis ad Tertullianum de præſcriptionibus *c. 52.* ubi animadvertit, utramque ſectam in eo conſenſiſſe, quod Spiritus S in Apoſtolis fuerit, non item Paracletus, & quod Paracletus in Montano plura, nec plura tantum ſed & majora & meliora dixerit, quam Chriſtus in evangelio, in eo autem Æſchinis diſcipulos à Proclianis diſſenſiſſe, quod inſuper Chriſtum & Filium & Patrem eſſe dixerint. Nec deſunt inter eruditos, qui etiam SIBYLLINA ORACULA aut (Pag. 244) ſaltem magnam eorum partem à Montani Spiritu profectam aſſerant, quam controverſiam aliis dijudicandam nunc relinquo.

XXIII.

XXIII. Quantopere eorum ſtudium laudandum, qui Montaniſtis ſtrenue ſe oppoſuerunt, quod non modo privatis diſputationibus ſed etiam in conciliis factum eſt, ſiquidem juxta Autorem libelli ſynodici, quem Johannes Pappus Argentorati græce edidit & Latine reddidit, Synodus Hierapolitana, quæ ſub Apollinarii præſidio habita, Montanum una cum Theodoto Coriario damnavit, tantopere dolendum eſt. Q. Septimium Florentem Tertullianum, qui à gentiliſmo ad Chriſtianam fidem converſus fuerat, ab orthodoxa fide ad Montani caſtra tranſiiſſe. Graviter ea de re queritur Vincentius Lirinenſis in commonitorio ſuo *c. 23.* Cum enim ejus eruditionem & eloquentiam magnis laudibus extuliſſet, & inter alia dixiſſet, ejus tot pene eſſe ſententias quot verba, quot ſenſus tot victorias, addit hunc ipſum Tertullianum catholici dogmatis & antiquæ fidei parum tenacem ſequenti errore juxta Hilarium ſcriptis probabilibus autoritatem detraxiſſe. Atque hinc etiam Hieronymus Helvidio Tertulliani autoritatem objicienti reſpondet, Tertullianum hominem de eccleſia non fuiſſe. Idem Hieronymus in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum & in apologia adverſus Ruffinum iſtam Tertulliani apoſtaſiam notavit. Quibus conſentit Auguſtinus in libr. de hæreſibus *c. 86.* Cum enim ibi de Tertullianiſtis agit, primum Tertulliani de anima corporea, & de Deo corporeo errorem tangit, neque tamen ob hunc errorem inter hæreticos numerandum cenſet, ſed eo nomine, quod ad Cataphrygas tranſierit. Similia ſunt Paciani & aliorum de Tertulliano judicia, etſi his omnibus antiquior Cyprianus tanti Tertulliani libros fecerit, ut juxta (*Pag. 245.*) Hieronymum in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum nullum diem ſine ejus lectione præterire ſineret, eumque Magiſtri nomine dignaretur. (cap 53.) Qui Cypriani in Tertullianum affectus pæne reliquorum teſtimonia ſuſpecta redderet, niſi ex ipſis ſcriptis Tertulliani omnino conſtaret, quod Montani diſciplinam amplexus fuerit.

XXIV. Scripta illa Tertulliani primus edidit Beatus Rhenanus, cujus in Tertullianum notas Baſileæ primum A. 1521. im-

impreſſas & poſtea variis in locis Baſileæ imprimis & Pariſiis ſæpius recuſas, etſi cenſuras inquiſitionis Hiſpanicæ effugere non potuerint, & in Romano indice prohibitæ fuerint, nihilominus lectu dignas cenſet Ellies du Pin in bibliotheca Scriptorum eccleſiaſticorum *p. 291.* Poſt Rhenanum cujus editionem Johannes Gagnæus additis nonnullis tractatibus locupletavit, & Sigismundus Gelenius ex MSC. Anglicano emendavit, Laurentius de la Barre in Tertulliano interpretando occupatus fuit, novamque operum ejus editionem Pariſiis 1580. procuravit. Sed magis inclaruit editio eodem fere tempore à Jacobo Pamelio adornata, & prælo ſæpius variis in locis ſubjecta, cujus prima editio 1579. prodiit. Sub finem ſuperioris ſeculi An. 1597. Tertullianus cum notis Franciſci Junii Franeckeræ lucem publicam aſpexit, cujus editionis defenſionem adverſus quosdam maledicos ſuſcepit Gerhardus Johannes Voſſius in præfatione tractatus de Hiſtoricis Latinis. Sub initium hujus ſeculi Tertulliani opera juxta Pamelianam editionem digeſta cum Franciſci Junii & Beati Rhenani anno-
(*Pag.246.*) tationibus ex bibliopolio Commeliniano prodierunt. Plerosque Tertulliani libros non tamen omnes cum notis ſuis & commentariis Ludovicus de la Cerda 1624. Pariſiis edidit, quæ editio duobus tomis conſtat. Hos ſecutus Nicolaus Rigaltius, cujus eruditæ in Tertullianum lucubrationes Pariſiis An. 1634. & ſecundis curis auctiores A. 1641. prodierunt. Cæterum typographus, qui A. 1634. Rigaltianam Tertulliani editionem procuravit, altero ſtatim An. 1635. ne quid ad explicationem Tertulliani deeſſet, Pamelii, Rhenani, Latini Latinii, Gabrielis Albaſpinæi, Johannis Wouvveri & aliorum quorundam in Tertullianum annotationes uno volumine conjunctas & textui editionis Rigaltianæ accommodatas edidit. Annotationibus autem in librum de pallio & apologeticum integer Tertulliani textus juxta Pamelii editionem præmiſſus eſt, cum hi duo libri in editione Rigaltiana à Pameliana plurimis in locis haud parum diſcrepent. Paucis poſt ſecundam Rigaltii editionem annis nempe 1646. Georgius Ambianas Capucinus ſuas in Tertullianum lucubrationes evulgavit Pariſiis impreſſas & tribus vo-

voluminibus diſtinctas, quas Tertulliani redivivi nomine inſignivit. Ad quam editionem reſpicere Rigaltius videtur, cum ait, Tertullianum vix ab ullo mortalium redivivum dici poſſe, qui jam ſub horrendis vegrandium commentariorum ſarcinis obrutus ſit & contritus. Leguntur hæc Rigaltii verba in præfatione notis ad Cyprianum præmiſſa, quibus ad Cyprianum notis novas ad Tertullianum obſervationes adjunxit. Porro 1658. Carolus Moreau Auguſtinianus Eremita tribus voluminibus, quibus omniloquii Tertullianei titulum præfixit, Tertullianum Pariſiis evulgavit, ubi etiam 1664. Philippus Priorius Tertullianum cum ſuis & variorum obſervationibus in lucem publicam emiſit. (*Pag.* 247.)

XXV. Ex his Tertulliani operibus nonnulla ſeorſim prodierunt. Librum de pallio poſt Johannem Mercerum, Theodorum Marcilium & Emundum Richerium Claudius Salmaſius Pariſiis 1622. notis ſuis illuſtravit, poſtea Lugduni Batavorum 1656. prælo iterum ſubjectis. Quas Salmaſii in Tertullianum animadverſiones paulo poſt Dionyſius Petavius ſub Antonii Kercoëtii nomine aggreſſus eſt. Verum Salmaſius ſub nomine Franciſci Franci 1623. Middelburgi, ut habet titulus, ſed verius Pariſiis refutationem Antonii Kercoëtii publicavit. Quod autem Marſilius etiam Ficinus in Tertulliani librum de pallio commentatus fuerit, quod Ellies du Pin in bibliotheca Scriptorum eccleſiaſticorum tradidit, non credo, ſed Tertulliani verba, quibus immortales Menandri diſcipulos perſtringit, hic mea facio: *veniant, aſſiſtant* (illi Marſilii Ficini ad Tertulliani librum de pallio commentarii) *videat illos meus Thomas, contrectet, & credet.* Tertulliani apologeticum Deſiderius Heraldus cum notis ſuis Pariſiis edidit, in quod Tertulliani opus etiam Franciſci Zephyri paraphraſis extat. Tertulliani libros duos ad nationes primus publici juris fecit & notas ſuas addidit Jacobus Godofredus Genevæ 1625. impreſſas. Librum de præſcriptionibus poſt Johannem Quintinum Heduum & Juſtum Calvinum Chriſtianus Lupus Bruxellis 1675. notis ſuis atque ſcholiis illuſtravit. Poëmata, quæ Tertulliano tribui ſolent, hic Lipſiæ edi- p. 192.

dit Andreas Rivinus Poëſeos quondam in hac Academia Profeſ-
(*Pag.248.*) ſor. In qua Poëmatum Tertullianeorum editione primo loco legitur poëma de Jona, quod, etſi in editionibus operum Tertulliani deſideretur, jam pridem tamen à Franciſco Jureto Pariſiis editum & bibliothecæ Patrum à Margarino Bignæo inſertum fuit. Quod doctiſſimum Voſſium latuiſſe, qui in notis ad Catullum *pag.* 274. carmen hoc tanquam hactenus ineditum allegavit, miratur Colomeſius in paralipomenis quartæ editionis *p.* 281.

XXVI. Inter deperdita Tertulliani ſcripta ſunt libri 7. de ecſtaſi, quorum ſeptimus Apollonio oppoſitus fuit, ut refert Hieronymus in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum *c.* 53. Reliqui ſex Soteri forte oppoſiti fuerunt, quem non minus ac Apollonium à Tertulliano impugnatum Autor Prædeſtinati retulit. Quamvis autem ſeptem illi libri cum aliis quibusdam Tertulliani ſcriptis perierint, ex iis tamen, quæ ſuperſunt, quantum Montani partes defenderit, haud difficulter judicari poteſt. Imprimis autem Montani diſciplinam ſpirant liber de pudicitia, liber de monogamia, liber de jejuniis & liber de fuga in perſecutione, quos etiam Hieronymus adverſus eccleſiam ſcriptos teſtatur. Ac in eo quidem, quem primo loco nominavimus, de pudicitia, Tertullianus in Epiſcopum quendam invehitur, qui mœchis indulgen-
*cap.* 1. tiam conceſſit. *Audio*, inquit, *etiam edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium, Pontifex ſcilicet Maximus, quod eſt Epiſcopus Epiſcoporum, edidit; ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. O edictum, cui non adſcribi poterit: Bonum factum.* Quis ille Pontifex Maximus & Epiſcopus Epiſcoporum, quem Tertullianus hic perſtringit? Allixius in diſſertatione de vita & ſcriptis Tertulliani *p.* 71. obſervat,
(*Pag.249.*) nuperum quendam hiſtoriæ Tertulliani Autorem (fortaſſe Nicolaum Fayollium intelligit) aut Epiſcopum Romanum aut alium quempiam Epiſcopum à Tertulliano notatum aſſerere. Allixio poſterior ſententia probabilior videtur. Putat enim Carthaginenſem Epiſcopum hic intelligi, quod ex Cypriani ad Antonia-

num

Digitized by Google

num epiſtola probat, ubi dicit, apud Anteceſſores ſuos quoſdam de Epiſcopis in provincia iſta pacem mœchis dandam non putaſſe, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſiſſe, neque tamen à Coëpiſcoporum ſuorum ſecus ſtatuentium collegio receſſiſſe. Ex quo loco quidem patet, ante Cypriani tempora in Africa de pace mœchis danda controverſiam agitatam fuiſſe, & quoſdam Epiſcopos affirmativam quosdam negativam ſalva inter utramque partem pace & communione defendiſſe. Quod vero tum temporis Epiſcopus Carthaginenſis edictum de pace mœchis danda promulgaverit, Cyprianus non dicit, etſi collatis Tertulliani verbis conjectura iſta non improbabilis videatur, præſertim cum etiam Cyprianus in concilio Carthaginenſi ad hæc Tertulliani verba alludere videatur, cum ait: *neque enim quisquam noſtrum Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit &c.* Et hanc Allixii conjecturam tuetur etiam Larroquanus in adverſar. *p. 63.* Cæteri plerique per Pontificem Maximum & Epiſcopum Epiſcoporum Romanum Pontificem intelligunt. Neque tamen inde ſumma Epiſcopi Romani in omnes eccleſias poteſtas exſculpi poteſt. Nam ſi vel maxime ſerio hunc titulum Romano Epiſcopo tribuiſſet Tertullianus, nondum tamen inde ſequeretur, quod Papam Romanum pro omnium eccleſiarum Domino agnoverit, ut prolixe oſtendit Montacutius in antidiatriba adverſus Bulengerum *p. 46. & 47.* (*Pag.* 250.) Certum autem eſt, Tertullianum, ſive de Romano, ſive de Carthaginenſi, ſive de quocunque alio Epiſcopo loquatur, ironice loqui, ut cum aliis Jacobus Capellus in tractatu de ſedis Romanæ poteſtate *p. 59.* obſervavit. Deridendum enim propinat illum Epiſcopum Tertullianus, quod mœchis publico edicto pacem indulgere auſus fuerit, ſiquidem id à Montani diſciplina abhorrebat, cujus in adulteros alioſque gravibus peccatis obnoxios rigorem per integrum hunc librum Tertullianus defendit, ut pari ratione in libris de monogamia, de fuga in perſecutione, & de jejuniis Montani placita tuetur. Neque tamen in his tantum libris, quos ex inſtituto contra eccleſiam ſcripſit, Montani ſe aſſeclam prodit Tertullianus, verum etiam in pluribus aliis, qua de re plura apud prædictum Allixium

in diſſertatione deſcriptis Tertulliani videantur, qui exceptis libris de baptiſmo, pœnitentia, & oratione, cæteros omnes à Tertulliano jam Montaniſta ſcriptos arbitratur, etſi haud pari facilitate de omnibus id probari potuerit. Interim dubium non eſt operam perdere, qui cum Georgio Ambianate Tertullianum ad Montaniſtas defeciſſe negant.

XXVII. Quid moverit Tertullianum, ut ad Montaniſtarum caſtra tranſiret, non eſt eadem omnium ſententia. Sunt qui exiſtimant, quod ægre tulerit, in epiſcopatu vel Romano vel Carthaginenſi alios ſibi prælatos. Alii Procli ſuaſu Tertullianum ab eccleſia orthodoxa receſſiſſe cenſent. Alii in auſterum & ſe-
(*Pag. 251*) verioris diſciplinæ amans ingenium culpam ejus rei conjiciunt. Hieronymus *in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum* cleri Romani invidiæ & contumeliis cauſam lapſus Tertullianei aſſignat. Inimicitias autem illas inter clerum Romanum & Tertullianum nonnulli ex diſſenſu in doctrina de baptiſmo hæreticorum, alii ex libro de corona militis natas ſuſpicantur, cum Clerus Romanus militem illum, qui in donativi diſtributione coronam recuſaverat, à Tertulliano defendi improbaret. Verum cum librum illum de corona militis Tertullianus ſcriberet, jam tum Paracleti cognitio & defenſio à Pſychicis ipſum ſejunxerat, ut Tertullia-
adv. Prax. c. 1. ni ad Montaniſtas tranſitum ipſius Tertulliani verbis exprimam. Neque certum eſt ſuper hæreticorum baptiſmo inter Clerum Romanum & Tertullianum diſſidia exorta fuiſſe. Et fortaſſe ob ipſam Tertulliani auſteritatem certamina illa mota ſunt, quæ poſtea ipſum, ut ad Montani partes accederet, impulerunt.

XXIIX. Tertulliano coævus fuit & Montani partibus non minus addictus AUTOR ACTORUM PERPETUÆ ET FELICITATIS. Non id diſſimulat Henricus Valeſius in præfatione Actis his præmiſſa. Certiſſimis enim indiciis id ſe deprehendiſſe dicit, quod Autor ille Montani ſectator fuerit. Probat hoc ex eo, quod Autor hic novas prophetias ſe recipere profitetur, eaſque prophetiis veteris teſtamenti anteponit. Id enim proprium Montaniſtarum erat, quod ſectam ſuam novam

vam prophetiam appellabant, & Spiritum S. plura in Montano & Priſca & Maximilla quam in Apoſtolis dixiſſe aſſeverabant. Verba Autoris illius anonymi hæc ſunt: *itaque & nos, qui ſicut prophetias, ita & viſiones novas pariter repromiſſas & agnoſcimus & honoramus &c.* (*Pag.252.*) Neque tamen autoritati iſtorum actorum & venerationi ſanctarum illarum Martyrum quicquam idcirco detractum cupit Valeſius, etſi ab Autore hæretico acta hæc collecta fuerint. Cum enim à Perpetua & Felicitate multa viſa & divinitus prædicta conſtaret, hinc Montaniſtas ſuarum viſionum ſomnia ſanctarum iſtarum Martyrum autoritate defendere voluiſſe putat. Et fateor jam Auguſtini ævo Perpetuam & Felicitatem pro ſanctis martyribus habitas, & in Africanis eccleſiis magno honore cultas. Unde plures ſermones his Martyribus dicatos ab Auguſtino deprehendimus, qui aliis etiam in locis honorificam earum mentionem facit, ut videre licet ex teſtimoniis ab Holſtenio collectis & paſſioni iſtarum Martyrum adjunctis. Verum valde vereor, ne Auguſtinus & alii, qui iſto tempore Perpetuæ & Felicitatis memoriam celebrarunt, falſa traditione circumventi eas pro ſanctis Martyribus celebraverint, quæ Montani labe aſperſæ fuerunt. Ante Auguſtinum Perpetuæ mentionem facit Tertullianus in libro de anima *c.55.* ubi dicit, Perpetuam fortiſſimam Martyrem ſub die paſſionis in revelatione Paradiſi ſolos illic ſuos commartyres vidiſſe. Verum hoc Tertulliani teſtimonium Perpetuam eo magis ſuſpectam facit. Et, ſi ipſa acta Perpetuæ & Felicitatis percurramus, ac viſiones quas habuerunt perluſtremus, facile animadvertemus eas, Montani potius Paracletum, quam Apoſtolicum Spiritum ſapere. Inter alia *p.14.* refertur, quod Perpetua per viſionem conſpexerit fratrem demortuum Dinocratem, exeuntem de loco tenebroſo, æſtuantem valde & ſitientem, quem precibus ſuis ad meliora loca promovit, (*Pag.253.*) quod nova viſione ipſi oſtenſum fuit, ut cæteras viſiones, quæ magno numero ſequuntur, taceam. Et Holſtenius quidem in notis ad hæc acta, ex locis illis tenebroſis, in quibus æſtuantem & ſitientem Dinocratrem Perpetua vidit, doctrinam eccleſiæ Pontificiæ de purgatorio confirmat, ubi æſtu & igne animas torqueri dicit.

dicit. Et Petrus Poſſinus in paralipomenis *p. 188.* locum hunc ut valde notandum commendat, cum inde quatuor illa, quæ Scholaſtici finxerunt, ſubterranea loca, nempe infernum, purgatorium, limbum infantum & limbum Patrum probari poſſe putet. Verum nos illis ſua ſomnia relinquimus.

XXIX. Quin & aliquis ex Epiſcopis Romanis Montani, Priſcæ & Maximillæ prophetias agnovit, & aliquandiu approbavit. Teſtis eſt Tertullianus. Scribit enim, quod Praxeas dum multa falſa de Montaniſtarum prophetiis & eccleſiis adſeveraret, Epiſcopum Romanum agnoſcentem jam prophetias Montani, Priſcæ & Maximillæ, & ex ea agnitione pacem eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ inferentem, coëgerit, & literas pacis revocare jam emiſſas, & à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare; ad quem locum Rigaltius notavit, non eſſe, quod ſuſpicemur, Tertullianum in re tam recenti tamque manifeſta mentiri voluiſſe, quod contra eos notamus, qui hic Tertulliani fidem ſuſpectam reddere conantur. Quis autem Epiſcopus ille Romanus fuerit, qui montanizavit, Tertullianus non expreſſit. Unde aliqui de Aniceto Tertulliani verba intelligunt, ut Baronius ad A. C. 178. alii de Eleuthero, ut Valeſius in notis ad Euſebii *lib. 5. c. 3.* & Pearſonius *differt. 2. de ſucceſſ. Pontif. c. 9.* alii de Victore, ut Allixius in diſſertatione de vita & ſcriptis Tertulliani, alii denique de Zephyrino, ut Dodvvellus in diſſert. ſingul. de ſucceſſ. Pontif. c. 13. Quisquis autem Epiſcopus ille Romanus fuerit, infallibilis certe non fuit. Unde Rhenanus ad illum Tertulliani locum in margine adſcripſit: *Epiſcopus Romanus montanizat.* Conferantur Gerhardus *Conf. cathol. Tom. I. p. 225.* & Chamier *Panſtrat. cathol. Tom. I. lib. 3. c. 9.* E quibus facile reſponderi poterit ad exceptiones Pamelii *in vita Tertulliani*, Bellarmini *lib. 4. de Rom. Pontif. c. 8.* Natalis Alexandri *ſecul. 3. diſſert. 1.* Cæleſtini Sfondrati, qui Eugenii Lombardi nomen ſibi adſcivit, *in regali ſacerdotio libr. 3. ſect. 9. p. 538.*

*adv. Praxeam. cap. 1.*

(*Pag. 254.*)

CA-

# CAPUT XIV.

## de

## Taſcodrugitis, Aſcodrupitis, Aſcodryptis, Aſcitis, Pattalorinchitis & Artotyritis,

### I.

AD Montaniſtas Epiphanius refert TASCODRUGOS vel hæreſ. 48.
TASCODRUGITAS, qui ſic dicti ſunt, quod inter oran- ſect. 14.
dum indicem manus digitum naſo imponerent, ut affectatam quandam ſanctitatem præ ſe ferrent. Compoſitam enim eſſe dicit illam vocem ex τασκὸς, quod nomen ipſorum lingua paxillum ſignificat, & ex δροῦγγος, quo vocabulo naſus ſeu roſtrum denotatur. Quas ſignificationes Scholiaſtes τῶν Βα- Tom. II. p. 581
σιλικῶν invertit. Dicit enim quod τάσκος Phrygum lingua naſum & δροῦγγος palum ſignificet, quem digitus imitetur.

II. Quos Taſcodrugitas Epiphanius appellaverat, ASCO- de hæreſ. c. 48.
DRUGITÆ à Damaſceno appellantur, ASCODRUGI à Balſamone in collectione conſtitut. Eccleſ. in bibliotheca canonica Juſtelli p. 1288. ASCODROBI ab Hieronymo *in prolegomenis libr. 2.* commentariorum epiſtolæ ad Galatas, ASCODRUTI & ASCODRUPITÆ à Theodoreto *lib. 1. c. 10.* Sunt tamen qui Taſcodrugitas ab Aſcodrupitis diſtinguunt. Dicit enim Theodoretus, quod Aſcodrupitæ docuerint, non debere divina myſteria per res viſibiles celebrari, neque incorpo-

rea per res corporeas & ſenſiles, perfectam autem redemtionem eſſe veram univerſorum cognitionem. Atque hinc Nicetas Choniates in theſauro orthodoxæ fidei *libr. 4.* Aſcodrupitis ſeptimam, & Taſcodrugitis vigeſimam hæreſin tribuit. Et ex his Aſcodrupitis Danæus in notis ad Auguſtinum *de hæreſ. p. 121.* & alii quidam recentiores Scriptores ASCODRYPTAS ſuos vel ASCOTHRYPTAS fecerunt, de quibus dicunt, quod omnia vaſa Sacramentis deſtinata fregerint & furioſe comminuerint. Verum an hoc ex antiquo aliquo Scriptore probari poſſit valde dubito. Aſcodrupitas potius Theodoreti ex Taſcodrugitis per vocis corruptionem natos exiſtimem. Sane quæ Epiphanius de Taſcodrugitis, & Theodore-
(*Pag. 256.*) tus de Aſcodrupitis referunt, Timotheus Presbyter in libello
*l.* 377. 378. de receptione hæreticorum conjungit & uni hæreticorum generi tribuit.

*c. 75. de hæreſ.* III. Qui à Philaſtrio Aſcodrogitæ appellantur, & deſcribuntur, quod utrem inflatum in eccleſia ſua ponant & cooperiant, eumque inſanientes potibus & bacchantes circumeant, illi rectius ab Auguſtino *de hæreſ. c. 62.* & Autore Prædeſtinati *eodem capite* ASCITÆ appellantur. Sic enim Auguſtinus: *Aſcitæ ab utre ſic appellati ſunt.* ἀσκὸς *enim græce latine uter dicitur, quem perhibentur inflatum & opertum circumire bacchantes, tanquam ipſi ſint Evangelii novi utres novo vino repleti.* Danæus in h. l. putat orationem hiulcam eſſe, & vocem *geſtandi* librariorum culpa excidiſſe, quam ipſe reponendam exiſtimavit hoc modo: *Aſcitæ ab utre ſic appellati ſunt &c. quem geſtare perhibentur.* Verum non eſt hiulca oratio Auguſtini, neque vox *geſtandi* inſerenda. Non enim ipſi geſtabant utrem Aſcitæ, ſed ut Philaſtrius refert, in eccleſia ſua poſitum circumire ſolebant. Autor Prædeſtinati ſic deſcribit: *utrem ingentem juxta altare ponunt, eumque vacuum inflant, & linteaminibus velant, & adorant, quia confectum cruoris Domini ibi adjiciunt, illud dicentes evangeli-*

*gelicum : vinum novum in utres novos injiciunt, & utraque conſervantur.*

IV. Aſcodrogitis ſuis Philaſtrius *cap. 76.* PASSALORINCHITAS ſubjicit, de quibus etiam ſtatim poſt Aſcitas Auguſtinus *c. 63.* agit, ubi, quod idem eſt, PATTALORINCHITAS appellat. Sunt autem Paſſalorinchitæ, vel Pattalorinchitæ iidem plane cum Taſcodrugitis. Dicit enim Epiphanius, quod Taſcodrugitæ alia voce eandem ſignificationem habente dici poſſint : Πασσαλοριγχῖται h. e. ut Petavius vertit, Paxillonaſones. *hæreſ. 48. ſect. 14. (Pag. 257.)* Eadem Paſſalorynchitarum voce alteram Taſcodrugitarum explicat Timotheus Presbyter, ubi Cotelerius vertit : Paxilloroſtrones. Dicit autem Auguſtinus, quod ſilentii ſtudio digitum naribus vel labiis impoſuerint, & neſcire ſe dicit, cur Pattalorinchitæ potius quam Dactylorinchitæ appellentur, cum tamen non πάσσαλον ſeu πάτταλον h. e. palum, ſed δάκτυλον ſeu digitum naribus imponant.

V. Præter hos Taſcodrugitas ſeu Paſſalorynchitas Epiphanius Montaniſtarum ſectis ARTOTYRITAS etiam adjungit, ſic dictos, quod ἄρτον καὶ τυρὸν h. e. panem & caſeum in myſteriis ſuis adhiberent. *hæreſ. 49. ſect. 1.* Apud Hieronymum in indiculo hæreſium Artotilæ librariorum vitio appellantur. *cap. 21.* De iisdem Artotyritis agunt Auguſtinus *de hæreſ. c. 28.* Autor Prædeſtinati *eodem capite*, Damaſcenus *de hæreſ. c. 49.* Nicetas *in theſauro orthodoxæ fidei libr. 4. c. 21.* & alii. Atque hæc Artotyritarum hæreſis in memoriam mihi revocat buccellam caſei, cujus mentio in Actis Perpetuæ & Felicitatis. Refert enim ibi Perpetua ejuſmodi viſionem: *& aſcendi* (nempe ſcalam, de qua in præcedentibus verbis diverat) *& vidi ſpacium horti immenſum, & in medio ſedentem hominem canum, in habitu paſtoris, grandem, oves mulgentem, & circumſtantes candidatos millia multa. Et levavit caput, & aſpexit me, & dixit mihi: bene veniſti tegnon* (τέκνον) *& clamavit me, & de caſeo quod mulgebat dedit mihi quaſi buccellam,*

*Ff 2* *& ego*

*& ego accepi junctis manibus, & manducavi, & univerſi circumſtantes dixerunt: Amen.* Et ex hac viſione, ut in ipſis actis
(Pag.258.) ſubjicitur, collegit Perpetua, ſe Martyrem futuram, & nullam am-
p. 128. plius in ſeculo ſpem habere cœpit. Ad buccellam illam caſei Holſtenius nihil amplius notat, quam quod Auguſtinus viſionem illam Perpetuæ referens. buccellam lactis pro buccella caſei dixerit, & quod multa hic dici poſſent de uſu lactis & mellis catechumenis olim dari ſoliti. Plura ad hunc locum addit in pa-
p. 184. ralipomenis Poſſinus & diſquirit, quomodo Perpetua ex hac buccella caſei colligere potuerit, ſe & cæteros, qui in carcere detinebantur, nequaquam inde dimittendos ſed martyrio conſummandos eſſe. Exiſtimat autem Euchariſtiæ ritum in illa viſione adumbratum fuiſſe, quæ notiſſimo tum uſu iis dari ſolebat, quos certum erat brevi morituros, & imprimis Confeſſoribus in martyrii procinctu conſtitutis. Et ſane, quod buccellam porrectam Perpetua junctis manibus accepit, manducavit, & circumſtantes Amen acclamarunt, priſtinis Euchariſtiæ ritibus optime convenit. Cogitari autem hic etiam poſſit, an forte Perpetua, quam Montani ſomniis addictam ſupra diximus, Artotyritarum more euchariſtiam accipere ſolita fuerit, qui caſeo in ſuis myſteriis uti conſueverant.

CA-

# CAPUT XV.

(Pag.259.)

de

## Alogis, Theodoto Coriario, Theodoto Trapezita, Melchiſedechianis, & Artemone.

I.

ALOGI ſeu ALOGIANI dicti ſunt, qui λόγον à Johanne prædicatum reſpuerunt, eoque nomine etiam Johannis evangelium una cum Apocalypſi repudiarunt. De his prolixe agit Epiphanius *hæreſ. 51.* brevius Philaſtrius *libr. de hæreſ. c. 60.* etſi Alogorum nomen non expreſſerit, Auguſtinus *de hæreſ. c. 30.* Damaſcenus *de hæreſ. c. 51.* A Philone quodam Epiſcopo eos ſuperatos ſcribit Autor Prædeſtinati *hæreſ. 30.*

II. Hæreſeos hujus Alogorum Verbi divinitatem negantium ἀπόσπασμα fuit THEODOTUS, patria Byzantinus, arte Coriarius, quem Autor quidam antiquus apud Euſebium *libr. 5. c. 28. hiſtor. eccl.* ἀρχηγὸν καὶ πατέρα τῆς ἀρνησιθέου ἀποστασίας ſeu defectionis Deum negantis Ducem & Autorem appellat, & ob negatam Chriſti divinitatem à Victore excommunicatum refert. Antiquus autem ille Autor, ex quo Euſebius hæc excerpſit, fuit Cajus vel Gajus Presbyter Romanus, ut ex Photio *cod.* 48. col-

lato cum Theodoreto *lib. 2. c. 5.* de hæret. fabul. colligit Pearſonius de ſucceſſ. Rom. Pontif. p.147.148. Conferantur præterea de Theodoto Coriario Autor appendicis ad Tertullianum de præſcript. *cap. ult.* Epiphanius *hæreſ. 54.* Theodoretus *lib. 2. hæret. fabul. c. 5.* Auguſtinus *de hæreſ. c. 33.* & Philaſtrius *de hæreſ. c. 50.* In ſupplemento autem, quod Helmſtadienſi Philaſtrii editioni ſubjunctum eſt *c. 35. p. 110.* Theodotus Coriarius cum Theodoro Mopſueſteno confuſus deprehenditur. Fragmenta quædam hujus Theodoti leguntur ſub eclogarum nomine inter opera Clementis Alexandrini, ex quibus alii etiam Theodoti errores colligi poſſunt, ſiquidem docuit, Filium Dei & Angelos materiales eſſe, ſexus differentiam in Angelis dari, animas etiam & dæmones corporales eſſe, ipſi Jeſu redemtione opus fuiſſe quam columbæ poſt baptiſmum immiſſæ beneficio obtinuerit, Deum Patrem in Chriſto patiente paſſum eſſe, à Chriſto ante paſſionem animam divinam & ſpiritualem, quam à materiali diſtinxit, receſſiſſe, aſtra fatum rebus inducere &c. Conferatur Guilielmi Cave hiſtoria literaria *p. 54.* Occaſio autem quæ Theodotum impulit, ut Chriſti divinitatem negaret, hæc fuit, quod Chriſtum perſecutionis tempore negaſſet, & poſtea pro extenuatione hujus facti ſe merum hominem negaſſe dixerit, ut Auguſtinus & Philaſtrius locis ſupra citatis retulerunt. Ignatii locum de Theodoto jam ſupra *ſect. I. C. 3. theſ. 2. & 3.* vidimus. Hieronymi autem locum de Theodoto Byzantino, qui extat in tract. contra Helvid. *c. 9.* fuſe explicat Pearſonius in vindic. epiſtol. Ignatii *part. 2. c. 2.* ubi diſquirit, an ex Hieronymi ſententia Theodotus Byzantinus refutatus ab Ignatio fuerit. Cæterum quod Cajus apud Euſebium innuit, primum fuiſſe hunc Theodotum, qui Chriſtum merum hominem eſſe dixit, à vero aberrat, cum jam olim Ebion & Cerinthus idem ſtatuiſſent.

(*Pag. 260.*) (*Pag. 261.*)

III. Diverſus ab hoc Theodoto Coriario fuit THEODOTUS Trapezita, de quo autor appendicis ad Tertullianum *de præſcript. c. 53.* Ab hoc Theodoto Trapezita ſeu argentario & Aſclepiodoto ſeductus eſt Natalis quidam, qui ſæpius à Domino mo-

monitus, & cum obtemperare nollet tandem per ſomnium ab Angelis flagellatus coram Zephyrino Epiſcopo Romano reſipuit, ut ex Cajo refert Euſebius *lib. 5. c. 28. hiſtor. eccleſ.* & poſt Euſebium Theodoretus *lib. 2. c. 5.* Nicephorus *lib. 4. c. 21.* Docuit autem hic Theodotus, Melchiſedecum cœleſtem quandam virtutem & Chriſto ſuperiorem eſſe, & Chriſtum quidem pro hominibus, Melchiſedecum autem pro Angelis intercedere. Unde Theodoti hujus aſſeclæ dicti MELCHISEDECHIANI, de quibus Epiphanius *hæreſ. 55.* Auguſtinus & Autor Prædeſtinati *hæreſ. 34.* Theodoretus *lib. 2. c. 6. de hæret. fabul.* Gaillardus *exercit. I. de Melchiſed.* Non alienus fuit ab hac Melchiſedechianorum ſententia Autor quidam Anonymus ab Hieronymo epiſtol. 126. ad Evagrium refutatus, qui docuit, Melchiſedecum non de hominibus ſed divinioris virtutis fuiſſe, & ad extremum auſus eſt dicere, Spiritum S. Abrahamo occurriſſe. Quam ſententiam de Spiritu S. alias etiam Hieracitæ defenderunt, de quibus, cum ad ſeculum Apoſtolico proximum non pertineant, nihil addo.

IV. Ad hoſtes divinitatis Chriſti præter utrumque Theodotum ſpectat ARTEMON vel ARTEMAS, de quo Cajus apud Euſebium *lib. 5. c. 28.* & Theodoretus *lib. 2. c. 4.* videatur. Ex quibus patet, Artemonis hujus aſſeclas jactaſſe, quod ipſi Apoſtoli de Chriſto non aliter docuerint. Et ex hac hæreticorum traditione Autor irenici irenicorum, qui eſt Daniel Zvvickerus, *p. 71.* Socinianam blaſphemiam confirmare conatur, cui reſponſum à Comenio in admonitione de irenico irenicorum *p. 129. & ſeqq.* & quamvis Zvvickerus in nova confirmatione irenici irenicorum *p. 454.* & ſequentibus ſententiam ſuam adverſus Comenii reſponſiones vindicare conetur, indigna tamen ejus argumenta ſunt, quibus refellendis chartam impendamus. Cæterum, cum Cajus adverſus Artemonis hæreſin ex inſtituto ſcripſerit, injuriam ipſi fecit Joſephus Medus, cum in clave apocalyptica ipſum arguit, quod ab hæreſi Alogorum alienus non fuerit, ut notavit Le Moyne in not. ad var. ſacr. *p. 941*, ubi etiam (*Pag. 262.*)

poſt

Digitized by Google

poſt Valeſium & alios obſervat, opus illud Caji contra Artemonem dictum fuiſſe parvam labyrinthum, quod ex Euſebii & Theodoreti item Nicephori collatione liquet, etſi Photius *c. 48.* parvam labyrinthum ab opere, quod contra Artemonem ſcripſit, diſtinguere videatur.

V. Cum autem Cajus apud Euſebium quosdam ex ejus aſſeclis & diſcipulis legem & prophetas plane repudiaſſe, reliquis vero Scripturæ libris falſarias manus intuliſſe referat, quod ex Aſclepiodoti, Theodoti, Hermophili & Apollonidis exemplaribus eorumque collatione ſe deprehendiſſe teſtatur, hinc Wittichius *in theol. pacific. theſ. 254.* probavit inſignem illum locum de tribus in cœlo teſtibus, qui *1. Joh. V, 7.* extat, ab Artemone potius ejusque aſſeclis quam ab Arianis è nonnullis exemplaribus deletum fuiſſe, quod etiam ante Wittichium Vedelius in (*Pag. 263.*) vindiciis illius dicti *theſ. 18.* obſervavit. Et quamvis Wittichio ſe oppoſuerit Mareſius, ſententiam tamen ille ſuam ulterius confirmavit in theologia pacifica defenſa *c. 17. p. 391.* ubi recte inter alia animadvertit, quod non in omnibus exemplaribus hæreticis fraus illa proceſſerit, ſiquidem ante Arianos Cyprianus illud dictum Johannis in exemplari ſuo legit. Id enim conſtat ex ejud. *epiſt. 73. p. 103.* & clarius ex libro de unitate eccleſiæ *p. 109.* Unde falſum eſſe conſtat, quod in Critica N. T. Simonius aſſerit, inter Patres ante Victorem Vitenſem & Fulgentium neminem fuiſſe, qui hoc dicto Johanneo uſus fuerit. Equidem Simonius ad Cypriani locum excipit, quod Cyprianus, cum ait: *de Patre & Filio & Spiritu S. ſcriptum eſt: hi tres unum ſunt,* non reſpicere *ad v. 7. c. 5.* epiſt. Johanneæ, ſed ad *v. 8.* ubi Johannes ſpiritum, aquam & ſanguinem in unum eſſe dicit. Putat enim Simonius, Cyprianum per Spiritum Deum Patrem, per aquam Spiritus S. & per ſanguinem Filium intellexiſſe. Et hanc Cypriani ſententiam eſſe probat ex Facundo Hermianenſi, qui libro *1. c. 3.* pro defenſione trium Capitulorum expreſſis verbis hanc Cypriano ſententiam aſſignat. Cum enim verba Johannis ita allegaſſet: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus,*

Digitized by Google

*ritus, aqua & Sanguis, & hi tres unum ſunt*, addit Johannem per Spiritum denotare Patrem, quia Chriſtus dixerit *Joh. 4. v. 21. Adorabunt Patrem in Spiritu & veritate, Spiritus eſt Deus, & qui adorant eum, eos in Spiritu & veritate adorare oportet*, in aqua verò Spiritum S. ſignificari, juxta *Joh. VII. 37 38 39.* per ſanguinem autem Filium deſignari, qui carni noſtræ & ſanguini communicavit. Et poſtea dicit, ſic Cyprianum hoc dictum intellexiſſe cum ſcripſit: *de Patre, Filio & Spiritu S. dictum eſt, hi tres unum ſunt.* (Pag. 264.) Verùm unde Facundus id probare poterit, Cypriani verba non ad *v.* 7. ſed ad *v. 8.* reſpicere, qui tamen expreſſe dicit, *de Patre, Filio & Spiritu S. ſcriptum eſt*: non: *de Spiritu, aqua & ſanguine.* Videtur ergò Facundus ejusmodi exemplar habuiſſe, in quo teſtimonium illud de tribus in cœlo teſtibus deſideratum fuit. Cum autem legeret apud Cyprianum *de Patre, Filio & Spiritu S. ſcriptum eſt, hi tres unum ſunt*, in eam ſententiam facilè prolabi potuit, quod Cyprianus ſub nomine Spiritus, aquæ & ſanguinis Patrem, Filium & Spiritum S. intellexerit, quod Cypriano in mentem non venit, cum aliàs, ſi verſum octavum reſpexiſſet, dicturus potius fuiſſet: *de Patre, Spiritu & Filio ſcriptum eſt, hi tres unum ſunt*, quia aqua ſanguini apud Johannem præponitur. Accedit, quod Cyprianus in dicto loco unitatem de divina firmitate venientem cœleſtibus ſacramentis cohærere dicat, adeoque in ſequentibus demum verbis ad *v. 8.* reſpiciat. Falſiſſimum autem eſt, quod addit Simonius, Patres Johannis dictum de Spiritu, aqua & ſanguine de myſterio Trinitatis communiter interpretari. Nam ante Facundum vix ullus adduci poterit, & forte etiam nullus poſt Facundum, qui ſic interpretatus eſt. Aliter longè Patres illum locum explicarunt, ut videre licèt apud Dorſch. Diſſ. de ſpiritu, aqua & ſanguine Th. XI.

(Pag. 265.)

# CAPUT XVI.

*de*

# Hermogene, Hermianis, Praxea, Monarchianis, & iterum de Patripaſſianis.

## I.

INter hæreticos ævi Apoſtolico proximi referendus quoque HERMOGENES, qui materiam Deo coæternam ſomniavit, quem errorem peculiari libro Tertullianus confutavit, in quo Hermogenis aſſeclas *Materiarios* appellat *c. 25. p. 264.* Adverſarius quoque Hermogenis hoc ſeculo extitit Theophilus Antiochenus, ut teſtatur Euſeb. *H. E. l. IV. c. 24.* & Hieronymus in Catalogo ſcript. *c. 25.* Conferantur præterea de Hermogene Tertullianus de Præſcript. adv. Hær. *c. 30.* ubi Hermogeni neſcio quem *Nigidium* adjungit, & *c. 33.* item Theodoretus *L. I. Hæret. fab. c. 19.* ubi Hermogeni & illum errorem tribuit, quod Chriſti aſcendentis corpus in ſole depoſitum finxerit. Utrumque errorem Auguſtinus *de Hæreſ. c. LIX.* HERMIANIS tribuit, quos ab Hermia ſic dictos aſſerit, de quo etiam Philaſtrius *c. LV.* videatur. Verum ſub Hermiæ nomine, quem Philaſtrius pariter ac Auguſtinus cum *Seleuco* conjungunt, & de reſurrectione quoque & aliis fidei articulis minùs rectè ſenſiſſe arguunt, non alius (Pag. 266.) fortè indicatur, quàm quem Tertullianus & Theodoretus Hermogenem appellant. Conferatur Danæus ad Auguſtin. *de hæreſ. c. LIX.* & Pamelius in not. ad Tertull. librum adv. Hermogenem

p. 351.

*p.351.* Ubi huic ſententiæ non obſtare putat, quod Philaſtrius *de Hæreſ. c. LIV.* & Auguſt. *Hær. XLI.* Hermogenis & Hermogenianorum mentionem faciunt, iisque PATRIPASSIANORUM ſententiam attribuunt. Non deſunt tamen qui Hermogenem ab Hermia diſtinguunt, ut Voſſ. *diſp. I. de Creat. §. V.* Baron. *Annal. ad A. C. 170.*

II. Inter Patripaſſianos illos Philaſtrius & hunc ſecutus Auguſtins loco proximè citato referunt quoque PRAXEAM, adverſus quem peculiaris Tertulliani tractatus extat. Ejusdem mentionem facit Autor appendicis ad Tertull. *de Præſcript. c. ult.* ubi Victorinum quendam hanc Praxeæ hæreſin corroboraſſe ſcribit. Tangunt præterea iſtum Praxeæ errorem Optatus Milevitanus *L. I. adv. Parmenianum p. 10. & L. V. p. 128.* Marius Mercator *T. II. Opp. p. 128.* ubi Praxeam primum voce υἱοπάτορ@ uſum aſſerit, item Autor Prædeſtinati *Hær. XLI.* & alii. Aſſeclas hujus Praxeæ MONARCHIANOS Tertullianus vocat *in lib. adv. Praxeam. c. X.* cujus nominis rationem *c. III.* hujus libri explicat.

III. Quo tempore Praxeas Romam venerit, eruditorum ſententiæ variant. Autor diſſertationis de ſcriptis Tertulliani, quem Allixium eſſe dicunt, etſi eorum opinionem non ſimpliciter improbet, qui ſub Eleutheri pontificatu id factum eſſe dicunt, veriſimilius tamen ad Victoris tempora Praxeæ adventum in urbem Romam referri putat. Id ex Tertulliani adverſus Praxeam libro *c. 1.* conſtat, plures eo tempore, cum Romam Praxeas venit, in Aſia & Phrygia eccleſias jam fuiſſe, Montani prophetiam amplexas, & Epiſcopum Romanum ejus temporis his eccleſiis in communionis ſignum pacis literas miſiſſe, quas poſtea revocavit, cum Praxeas eum impelleret, ut Prædeceſſorum ſuorum exemplo nihil cum iſtis eccleſiis commercii haberet. Hæc optimè ad Victorem referri poſſe putat, cujus prædeceſſores Montanum damnaverunt, Soter nempe & Eleutherus, quod de Sotere claris verbis ſcripſit Autor Prædeſtinati. Cum autem non unius prædeceſſoris meminerit Tertullianus, ſed prædeceſſorum, optimum ex ejus ſententia fuerit Soteri Eleutherum adjungere. Si verò (*Pag. 267.*)



Digitized by Google

ſub Eleutheri pontificatu Praxeas Romam veniſſe dicatur, tum dicendum erit, jam ante Soterem Anicetum quoque Montani hæreſin damnaſſe. At ſub Aniceti pontificatu Montani hæreſis nondum invaluerat, ſaltem ejus fraudes nondum innotuerant, cum primum ſingulari ſanctitatis ſpecie illa prophetia oculis hominum illuderet. Eandem ſententiam, quæ Praxeam ſub Victoris pontificatu ſub finem ſeculi à Chriſto nato ſecundi Romam veniſſe tradit, amplectitur quoque Antonius Pagi ad A. C. 171. qui ſe hæc accepiſſe dicit à Ludovico du Four Abbate S. Johannis de Jurdo ad Melodunum & ſeptem fontium in Thereſcia, à quo etiam ſibi communicata dicit fere omnia, quæ de Tertulliano in Critica ſua anti-Baroniana obſervavit. Confirmat ſuam ſententiam Allixius ex eo, quod cum inter Victorem & eccleſias Aſiaticas de Paſchatis feſto grave ſchiſma exortum fuerit, proba-(Pag. 268) bili admodum conjectura dici poſſit, Victorem montanizantibus in Aſia eccleſiis, in odium cæterarum, quæ de tempore Paſchatis celebrandi ab ipſo diſſentiebant, & fulmen ejus tanquam brutum aſpernabantur, communionem ſuam impertire voluiſſe.

IV. Cum vero Tertullianus de Praxea addit: *fruticaverant avenæ Praxeanæ hic quoque ſuperſeminatæ, dormientibus multis in ſimplicitate doctrinæ, traductæ dehinc per quem Deus voluit, etiam evulſæ videbantur. Denique caverat priſtinum doctor de emendatione ſua & manet chirographum apud Pſychicos, apud quos tunc geſta res eſt, exinde ſilentium. Avenæ vero illæ utique tunc ſemen excuſſerant. Ita aliquamdiu per hypocriſin ſubdola vivacitate latitavit, & nunc denuo erupit, ſed & denuo eradicabitur &c.* ex his verbis Baronius concludit, à Zephyrino Victoris ſucceſſore Romæ Praxeam damnatum, palinodiam errorum ſuorum cantaſſe, ſicque diu latuiſſe, donec latentem in ſtomacho hæreſin iterum evomeret. Atque hinc Baronius occaſionem captat, quam ſemper aucupatur, Romanorum Pontificum in eccleſia principatum & ſtudium in damnandis hæreticis commendandi, quaſi non alii quoque Epiſcopi contra Mon-

Montanum ejuſque hæreſin ſtrenue militaſſent. Neque vero Tertullianus dicit frutificantes Praxeæ avenas à Zephyrino traductas & evulſas. Veriſimilius iſta non Romæ ſed Carthagine geſta ſunt, & per eum, quem Deus voluit, fortaſſe Tertullianus ex humilitate & modeſtia nomen ſuum diſſimulans ſeipſum intellexit. Sic ſane ex ipſis Pontificiis hunc Tertulliani locum interpretatur Antonius Pagi *ad A. C. 171. ſect. 3.* Non primus autem, ut hoc unicum addamus, fuit Praxeas, qui *Patrem crucifixit*, ut Tertulliani verbis utar. Valentino enim Athanaſius in oratione de ſalutari adventu Domini tribuit, quod totam Trinitatem paſſam docuerit. Et de Ebione jam ſupra *ſect. I. c. 6. theſ. 8.* dictum eſt, quod Optatus Milevitanus Patripaſſianis eum annumeraverit. Conferantur quos de iſta Ebionis ſententia notavit Petavius *Tom. II. dogm. theol. libr. 1. c. 6. th. 4.* *(Pag. 269.)*

# CAP. XVII.

## *de*

## Antitactis, Peratis, et Helceſaitis.

I.

ANTITACTARUM, qui Dei ordinationibus ſe oppoſuerunt, fit mentio apud Clementem Alexandrinum *libr. 3. Strom. p. 321.* & Theodoretum *lib 1 hæret. fabul. c. 16.* Antitactæ illi dixerunt, quod Deus quidem Pater univerſorum noſter ſit natura, & omnia quæ fecit, bona ſint, unus autem quiſpiam ex iis, qui ab ipſo facti ſunt, Zizania ſeminaverit, & malorum naturam generaverit, quibus, ajebant, & nos implicavit, & Patri adverſarios effecit. Quoniam ergo ille dicit: non mœchaberis, nos mœchamur, ut ejus mandatum diſſolvamus.

II. Antitactis Theodoretus *c. 12.* ſubjungit PERATAS, quorum fuerunt duces *Ademes Caryſtius* & *Euphrates Peraticus*; quem

(*Pag.*270.) Danæus in notis ad Auguſtinum *de hæreſ. p.* 115. perperam Peraticum Euphratenſem appellat. Peratas autem à regione, in qua verſati ſunt, hoc cognomentum adeptos tradit Clemens Alexandrinus *lib.* 7. *Strom. p.* 549. Hi autem Peratæ tres mundi ſectiones faciebant. Primam ſectionem Trinitatem appellabant, eamque vocabant bonum perfectum, magnitudinem paternam, ſecundam vero poteſtatum infinitarum multitudinem, tertiam denique ſpecialem appellabant. Et primam quidem dicebant ingenitam, & nominabant tres Deos, tres ſermones, tres mentes, tres homines. E ſuperis autem temporibus Herodis deſcendiſſe hominem quendam triplicis naturæ, trium corporum, & triplicis poteſtatis, Chriſtum nomine, & pertranſiiſſe mundum & ingenitum, & per ſe genitum, & in hunc mundum, in quo ſumus perveniſſe, & ingenitum quidem mundum non minus ac αὐτογενῆ ſeu per ſe genitum ſervandos dicebant, periturum autem hunc mundum, quem ſpecialem dicebant. Et his quidem hæreticis Harduinus in triplici quæſtione de baptiſmo *p.* 80. oppoſitum exiſtimat canonem apoſtolicum 48. (*al. ed.* 49.) quo epiſcopis, qui baptizaverint εἰς τρεῖς ἀνάρχους, ἢ τρεῖς υἱοὺς ἢ τρεῖς παρακλήτους pœna depoſitionis indicitur. Iisdem oppoſita putat illa ſymboli Athanaſiani verba: *unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii, unus Spiritus S. non tres Spiritus S.* Exiſtimat enim Peratas per tres Deos tres Patres, per tres ſermones & tres mentes, tres Filios, & per tres homines tres Paracletos, ſeu Spiritus S. intellexiſſe. Quas ſpeculationes ipſi nunc relinquimus, nihil etiam de *Monoimo* addentes, de quo poſt Antitactas & Peratas Theodoretus agit *c.* 18. ubi hunc Monoimum ex (*Pag.*271.) arithmetica hæreſin ſuam condendi occaſionem accepiſſe ſcribit.

III. HELCESAITÆ ſic dicti ſunt à quodam Elxai, quem Epiphanius ſub Trajani imperio vixiſſe dicit, juxta quam chronologiam ſtatim ſub initium ævi apoſtolico proximi referendi fuiſſent. Verum cum Euſebius hos hæreticos Origenis ætate ortos tradat, adeoque ad tertium ſeculum eorum originem referat, excuſatione non carebo, quod in extremum hunc locum eorum men-

lib. 6. H. E. c. 38.

mentionem diſtuli, quam inter primi & ſecundi ſeculi hæreſiarchas juxta Euſebii calculum plane omittere potuiſſem. Rejecerunt autem Helceſaitæ, vel Helceſæi, qui & Elceſæi ſeu Elceſaitæ dicuntur, Apoſtoli Pauli ſcripta, & negationem fidei, quæ ore fit, licitam ſtatuerunt, ut ex Origenis in Pſalmos commentariis Euſebius l. c. retulit, ubi etiam de illorum libro, quem cœlitus delapſum gloriati ſunt, agitur. Plura de illorum erroribus videantur apud Epiphanium *hæreſ. 19. 30. 53.* Theodoretus *libr. 2. hæretic. fabul. c. 7.* Damaſcenum *de hæreſ. 30. & 53.* Auguſtinum *de hæreſ. c. 32.* ubi Autorem hujus ſectæ Elci vocat, Autorem Prædeſtinati, qui conditorem hujus ſectæ Helchi appellat. Nicephorum *lib. 5. c. 24.* Nicetam *lib. 1. theſ. orthox. fid. lib. 1. c. 43.* Apud Antiochum *homil. 130.* Helceſæi per librariorum vitium Gelſæi nominantur. E recentioribus videantur Scaliger *in elench. trihæreſ. c. 27. & 28.* Valeſius in notis ad Euſebium *p. 129.*

HÆc de Hæreſiarchis ævi apoſtolici & apoſtolico proximi in medium proferre placuit, in quorum caſtra me contuli, non, ut transfugam, ſed exploratorem agerem, & cognoſcerem, quibus cauſis impulſi hæreſiarchæ novas ſectas condiderint, quos imprimis fidei articulos impugnaverint, quibus artibus peſtifera ſua dogmata propagaverint, aliaque obſervatu non inutilia, quæ ſi cum recentiorum temporum hiſtoria conferantur, facile deprehendere licebit, Satanam ſubinde mutatis perſonis eandem fabulam egiſſe. Quod ſupereſt, orthodoxam eccleſiam adverſus Satanæ omniumque hæreſiarcharum machinas & inſultus potentiſſimo Dei præſidio commendo, cujus Verbum manet in æternum. (*Pag. 272.*)

IN-

# INDEX ET SUMMA CAPITUM.

## *Præfatio de Scriptoribus antiquis iisque non deperditis, qui veterum hæreſium catalogos & hiſtoriam ediderunt.*

I. *Irenæi* reliquiæ ab Hugonottis male tractatæ, ſcripta, libri adverſus hæreſes à quibus illuſtrati. II. Sitne *Tertullianus* Autor hæreſiologiæ, quæ ad finem libri de præſcriptionibus extat? Affirmativa Dodvvelli, negativa Lupi & Allixii probabilior videtur. III. Fuchtenii error de ætate *Philaſtrii* natus ex corrupto quodam Philaſtrii loco, quem Latinus Latinius emendavit. IV. De indiculo hæreſium, qui ſub *Hieronymi* nomine prodiit. Sententia Menardi, cujus præfatio corrigitur. Grotii de eodem ſententia. Indiculus ille in editionibus operum Hieronymi omiſſus. Cotelerii emendationes in illum indiculum. V. De *Epiphanii* panario & ἀνακεφαλαιώσει, quam ſolam Auguſtinus habuit. VI. *Auguſtini* de hæreſibus libellus. VII. *Autor Anonymus* ſub *Prædeſtinati* titulo à Sirmondo vulgatus. Quis ille Auræus, qui cenſuram ſuam in hoc opus edidit. De Autore illius operis ſententia Hincmari Remenſis, Oudini, Sirmondi, Piccinardi, quæ omnes refutantur. De ætate illius Autoris, operisque ab eo ſcripti autoritate, quam alii magni, alii parvi æſtimant. VIII. *Gennadius Maſſilienſis* an ſcripſerit hæreticorum catalogum? ejus appendix ad Auguſtinum de hæreſibus. Notantur Benedictini è congregatione S. Mauri, qui novam Auguſtini editionem Pariſiis procurant. IX *Theodoreti* libri de hæreticis fabulis. De conſilio & ſcopo illius operis Johannis Garnerii ſuſpicio, quæ refellitur.

X. *Le-*

X. *Leontii* de ſectis liber. XI. *Iſidori Hiſpalenſis* origines. Ejus hæreſiologia à Gratiano repetita. XII. *Anaſtaſii* hodegus. XIII. *Sophronii* epiſtola ſynodica. XIV. *Timothei Presbyteri* libellus de hæreticis. Ejus variæ & plurimum inter ſe diſcrepantes editiones Bignii, Poſſevini, Meurſii, Combefiſii, Cotelerii. XV. *Damaſceni* liber de hæreſibus. XVI. *Paulinus Aquilejenſis* inter Autores, qui veterum hæreſium catalogos & hiſtoriam contexuerunt, perperam refertur. Septem libri adverſus Felicem Urgelitanum non Paulinum, ſed Alcuinum Autorem habent, nec hæreſium hiſtoriam continent. XVII. *Rabanus Maurus* hæreſiologiam ſuam ex Iſidoro exſcripſit. XIIX. *Eythimii Zigabeni* panoplia. XIX. *Zonaræ* canon acroſtichus, *Honorii* de hæreſibus libellus. *Harmenopuli* de ſectis liber. De ejus ætate Seldeni ſententia. XX. *Nicetæ* theſaurus orthodoxæ fidei. Labbei error notatur. XXI. *Matthæi Blaſtaris* ſyntagma alphabeticum. *Guidonis de Perpiniano* opus de hæreſibus. XXII. *Bernhardi Luxenburgenſis* & *Prateoli* catalogi hæreticorum alphabetici. *Alphonſi à Caſtro* libri adverſus hæreſes. *Petrei* & *Malvaſiæ* catalogi hæreticorum. *Cramcri* arbor conſanguinitatis hæreticæ, &c.

## Diſſertationis Sectio I. de Hæreſiarchis ævi apoſtolici.

### CAPUT I.
de
### *Doſitheo & Doſitheanis.*

I. De Doſitheo Hegeſippi & Origenis teſtimonia. II. Synodus ſub Eulogio adverſus Doſitheanos habita. Ejus acta ex Photio recenſentur. Photius emendatur. III. Doſitheus Apoſtolis coævus ab alio Doſitheo diſtingendus. Indicantur Autores, qui de Doſitheo prolixius egerunt.

### CAPUT II.
de
### *Simone & Simonianis.*

I. Simon Doſithei diſcipulus, Pſeudo-Clementis de eo narratio.

ratio. II. III. Locus Act. VIII, 9. & ſeqv. illuſtratur. IV. De Simonis Helena ſeu, ut alii vocant, Selene. V. Simon hic Magus videtur diſtinguendus ab eo Simone Mago, cujus Joſephus meminit. De Patria Simonis Le Moynii conjectura. VI. Statuam Simoni poſitam Romæ non fuiſſe contra Spencerum & alios aſſeritur. VII. Fabuloſæ Simonis Magi cum Petro diſputationes. Clementis Alexandrini locus explicatur. VIII. Narratio de præcipiti Simonis lapſu ſuſpecta. Grotii ſententia. Adverſarii ejus. Matthæi Poli erratum mnemonicum. IX. X. Locus 2. Theſſ. II. 1. & ſeqv. qua ratione à Grotio & Hammondo exponatur, quorum interpretatio breviter refellitur. XI. Deum peccati originem fecit Simon. Locus Jacobi I, 13. & 17. Error Simonis de duplici Deo. XII. Alia Simonis deliria. XIII. Angelolatria Simoniana. Baronius à Petavio refutatus. Locus Coloſſ. II, 18. XIV. Carnis reſurrectionem cur negaverit? XV. Qualis fides & vita Simonianorum. Nefanda eorum myſteria. XVI. Locus Jacobi II, 14. ſeq. XVII. Locus 1. Tim. VI. 20. illuſtratur. XVIII. Varii Autores varia de Simone referentes.

## CAPUT III.

de

### *Variſuo & Cleobio vel Cleobulo, Theodade Thebute ſeu Theobuto, Gorthæo, Masbothæo, Eutychistis, Caniſtis & Adrianiſtis.*

I. Quis Variſuus, incertum. Oſtenditur, Autorem operis imperfecti in Matthæum non eſſe Johannem Hieroſolymitanum, neque Chryſoſtomum. Poſſevini error. Abſurda Sandii de genuinis Chryſoſtomi operibus ſententia. II. Quid de Cleobio narretur in Corinthiorum ad Paulum epiſtola apud Armenos. Alii Autores, qui Cleobii meminerunt, indicantur. De Conſtitutionibus Apoſtolicis judicia Natalis Alexandri, & Chriſtiani Lupi. Montacutii de iisdem ſententia à Jacobo Uſſerio caſtigata. III. De Theodade, quod hæreticus fuerit, incertum. IV. Thebuten quid ad hæreſin novam condendam impulerit. V. Gorthæorum cum Sebuæis contentio. VI. Masbothæorum nomen

men unde Scaliger derivet. Duplices Masbothæi. VII. Eutychetæ unde dicti. Eorum errores. Locus Theodoreti à Cotelerio emendatus. VIII. De Caniſtis Danæi ſententia improbabilis. IX. Adrianiſtarum nomen unde natum.

## CAPUT IV.
### de
### *Menandro.*

I. Menander quantum cum Simone convenerit, aut ab eodem diſcrepaverit. II. promiſſam à Menandro immortalitatem quomodo Tertullianus exagitaverit. III. Menandri adverſarii. Quo tempore Menander floruerit.

## CAPUT V.
### de
### *Cerintho & Cerinthianis, ubi & de Chiliaſtis ſeu Milliariis & Papianiſtis.*

I. Num Cerinthus etiam Merinthus dictus fuerit, an diverſi fuerint, Epiphanio incertum. II. Johannis evangelium contra Cerinthum ſcriptum, qui Chriſti divinitatem negavit. III. A Pſeudapoſtolorum doctrina non alienus fuit. IV. Locos Coloſſ. II, 18. â Garnerio de Cerinthianis explicatur. V. Cerinthianorum angelolatria. VI. Jeſum à Chriſto diviſerunt. Quos Scripturæ libros repudiaverit Cerinthus. VII. Cerinthi chiliaſmus. Quinam ſint in codice Theodoſiano Papianiſtæ. IIX. De Cerinthianorum baptiſmo pro mortuis. Illuſtratur locus 1. Cor. XV, 29. Variorum circa loci ejus explicationem ſententiæ. IX. Quanto odio Johannes Cerinthum proſecutus fuerit. Quod balnei ruina Cerinthus oppreſſus fuerit, veterum Scriptorum nullus dixit. Feuardentii mendax ex Hieronymo allegatio. X. In Pii I. epiſtola ad Juſtum Viennenſem Cerinthus tanquam adhuc ſuperſtes introducitur. Epiſtolæ decretales veterum Pontificum uſque ad Siricium ſuppoſitæ ſunt.

## CAPUT VI.
de

## *Ebione, Ebionitis, Homuncionitis, Anthropianis, Patripaſſianis, Symmachianis.*

I. Refutantur Socinus, Oſtorodus, Curcellæus, Jurieuſius, Simonius & alii, qui hæreticum quempiam ejus nominis ullo tempore fuiſſe negant. II. Ebionis de Chriſto ſententia. Locus Irenæi à Pearſonio emendatus. III. Duplex Ebionitarum genus. Error Huetii, qui Ebionitas quosdam à Nicephoro majores dictos fuiſſe exiſtimavit. IV. Per Homuncionitas quos hæreticos Prudentius intelligat. Quinam ſint apud Vigilium Tapſenſem Homonſianiſtæ, apud Cyprianum Anthropiani. V. Ignatii locus à Pearſonio de Ebionitis explicatus. VI. de Judaiſmo Ebionitarum. VII. Quos Scripturæ libros repudiaverint. Locus Marii Mercatoris de Ebione, quem cum aliis Scriptoribus conciliare tentavit Garnerius. IIX. Inter Patripaſſianos refertur Ebion ab Optato Milevitano. IX. De Symmacho, qui Ebionitarum ſectæ ſe addixit, ejuſque commentariis.

## CAPUT VII.
de

## *Nazaræis & Hebraico Matthæi, quo uſi ſunt evangelio.*

I. De Nazaræis Grotii & Voſſii ſententia, cui Huetius adverſatur. Quis Nazaræorum error fuerit. II. Richardi Simonii de Nazaræis ſententia. III. Traditio de Hebraico Matthæi evangelio. Varia antiquitatis de illo evangelio teſtimonia. IV. Adduntur plura. V. Epiphanii de illo evangelio narratio. Petaviana illius loci interpretatio à Doujatio corrigitur. De hebraico Matthæi evangelio cum Barnabæ reliquiis invento Sigeberti narratio. Hodiernæ Hebraici evangelii Matthæi editiones duæ recenſentur. VI. Neutram genuinum Matthæi opus eſſe probatur. VII. Reſpondetur ad autoritatem Patrum, qui evangelium à Matthæo Hebraicè ſcriptum dixerunt. Quantus ſit de interprete

Digitized by Google

prete Hebraici evangelii diſſenſus. B. Waltheri & Gerhardi memoriæ lapſus. IIX. Oſtenditur nihil probare poſſe clauſulas verſioni Syriacæ & Arabicæ adjectas. IX. Nec hiſtorias de Hebraico evangelio relatas. Evangelium cum Barnabæ reliquiis inventum Græcum fuiſſe probatur. Reſpondetur Le Moynio. X. Suſpectum reddunt illud evangelium ſententiæ ab Hieronymo & aliis inde excerptæ. Simonii exceptioni reſpondetur. XI. Notantur abſurdæ ſententiæ Baronii, Poſſevini, Gonſali de Salas.

## CAPUT IIX.

de

*Hermogene, Phygello, Dema, Hymenæo, Phileto, Alexandro & Diotrephe.*

I. Quid de Hermogene, Phygello, Dema, Paulus, quid alii Scriptores tradiderint. II. Illuſtratur Pauli locus de Hymenæo & Phileto 2. Tim. II, 17. III. Alexander fidei naufragium paſſus, Diotrephes pro hæreſiarcha agnoſcitur à Beda, de ejus hæreſi, qualis fuerit, ſuſpicio Bartholomæi Petri. Controverſia de Diotrephe inter Blondellum & Hammondum.

## CAPUT IX.

de

*Nicolao & Nicolaitis.*

I. Nicolaitarum errores ex Apocalypſi & Scriptoribus eccleſiaſticis referuntur. II. Falſo ad Nicolaum, cujus Act. VI, mentio, originem ſuam Nicolaitas retuliſſe tradit Ignatius, ſeu potius interpolator epiſtolæ Ignatianæ ad Trallianos & Philadelphienſes. III. Clementis Alexandrini de Nicolao narrationes ſuſpectæ. IV. Multo minus fidem merentur, qui Nicolaum illum tantopere à Spiritu S. in actis commendatum Nicolaitis haud meliorem fuiſſe dicunt. V. Tangitur opinio Cocceji, qui ſub Nicolaitarum nomine Papiſtas, & Hofmanni qui Romanos gentiles tanquam ſub ænigmate deſignari ſtatuunt. Ligtfooti

ſententia de origine nominis Nicolaitarum. VI. Quo ſenſu Nicolaitarum nomen ſequiori ævo uſurpari cœperit. VII. Gloſſa corporis canonici per Nicolaum Mahometum intelligit, quem Benvenutus Imolenſis ſanctæ eccleſiæ Romanæ Cardinalem fuiſſe aſſerit. Ansberti de ſignificatione nominis Nicolaitarum opinio.

## Sectio II. de Hæreſiarchis ævi apoſtolico proximi.

### CAP. I. de *Saturnino.*

I. Saturnino Baſilidem priorem fuiſſe infirmo admodum argumento Baronius probavit. II. Saturnini errores. III. Locus I. Tim. IV, I. tangitur.

### CAP. II. de *Baſilide & Iſidoro.*

I. De ætate Baſilidis variæ ſententiæ. Locus Hieronymi. II. Baſilidis Abraxas. III. De Mithræ nomine, quod totidem numeros continet. Diverſa computatio Johannis Macarii & Athan. Kircheri. IV. Quomodo Vendelinus vocem Abraxas explicaverit. Ejusdem de amuleto, quod Abraſadabra inſcribitur, conjectura. V. Baſilidianorum incantationes & præſtigiæ. VI. Baſilidis de Chriſto deliria. VII. Varii Baſilidis errores. IIX. Baſilidis ſcripta. Adverſarii. Unde myſteria numerorum in voce Abraxas Baſilides hauſerit. IX. De Iſidoro Baſilidis filio.

### CAP. III. de *Carpocrate, Marcellina & Epiphane.*

I. Ex Carpocratis hæreſi calumniæ in Chriſtianos natæ. II. Epiſtola Hadriani ad Servianum. III. IV. Carpocratis dogmata. V. Harpocratiani apud Origenem. Unde nata ſit gentilium opinio de occultis Chriſtianorum notis. VI. Marcellina. VII. Epiphanes.

CAP.

## CAP. IV.
de
### *Prodico & Adamianis, nec non Cainianis ſeu Cajanis & Quintillianis.*

I. De Prodico. à quo Adamiani, qui tamen circa precum uſum à Prodico diſſenſerunt. II. Adamianorum ſomnia. III. Novi Adamiani ex hiſtoria Bohemica. IV. Cajanorum doctrina. V. De Juda quid ſtatuerint. Aliorum cum Cajanis conſenſus. Raynaudi de Calviniſtis Occitanis ad S. Ægidium falſa ſuſpicio. IV. Quibus libris Cajani uſi. VII. Hieronymi locus de Cajanis. IIX. Aliorum de Cajanis teſtimonia. Concilium contra Cajanos in nova Conciliorum collectione à Baluzio omiſſum. IX. Qintilla ad hæreſin Cajanam ſpectat potius quam ad Montaniſtas, Quintillianorum myſteria imitati perhibentur Fratricelli & aſſeclæ Hermanni Pongilupi.

## Capitis IV. pars altera.
de
### *Abelitis, Sethianis & Ophitis.*

I. De Abelitarum ætate ſententiæ variæ. II. Quid Sethiani docuerint. Eorum adverſarius Perigenes. III. Unde Ophitarum nomen. Eorundem nugæ.

## CAP. V.
de
### *Valentino.*

I. De Valentini ætate. Quo tempore ſcriptus ſit Juſtini cum Tryphone dialogus. II. Varia de Valentino. III. Libri apocryphi quibus uſus. IV. Fabula æonum unde nata. V. Errores de Deo & Chriſto. VI. De triplici genere hominum. VII. De reſurrectione quid ſtatuerit. IIX. Adverſarii Valentini, quibus perperam à Magdeburgenſibus Hegeſippus, & à Baronio Theophilus Antiochenus cum pluribus adnumeratur.

CAP.

## CAP. VI.

de

*Valentini aſſeclis, Ptolomæo, Secundo, Heracleone, Marco, Colarbaſo, Baſſo, Florino, Blaſto, Berone & aliis.*

I. Ptolomæi epiſtola ad Floram. II. De Secundo. III. Heracleonis de baptiſmo & aliis articulis errores. Ejus in Johannis evangelium commentarius. IV. Marci præſtigiæ & errores. Marcus hic à Marco Priſcilliano diſtinguendus. V. Colarbaſi errores. VI. C. Baſſus apud Philaſtrium nullus alius eſt quam Colarbaſus. VII. Florinus & Floriniani, a quibus diverſi Floriani à Philaſtrio memorati. IIX. Blaſtus judaizans. IX. Bardeſanis & Bardeſianiſtarum errores. X. De Berone. Hippolytus Apoſtolis notus & familiaris non fuit, quod à Cyrillo Scythopolitano aſſertum fuit. Hippolyti fragmenta ex ſermone contra Beronem & Helicem ſunt Pſeudepigrapha. XI. Aſſeclæ quidam Valentini obſcuriores.

## CAP. VII.

de

*Cerdone & Marcione.*

I. Sacerdon, quem Cerdoni Sophronius apponit, nullus eſt. Cerdonis dogmata. II. Marcion nauclerus vel nauta à quibusdam appellatur. Ejus ætas. III. Monachus non fuit. Ejus ſtuprum ab Epiphanio relatum Tertullianus ignoravit. IV. Marcionis appellatio ad Romanum Epiſcopum fictitia. V. Ejus hæreſis ſub Hadriano cœpit. VI. Polycarpus Romæ & Marcione compellatus quid reſponderit. VI. Pecunia à Marcione adhuc orthodoxo eccleſiæ illata. Hieronymi error. VII. Marcion Pontici muris inſtar evangelia arroſit. Tertullianus non videtur exactum exemplar evangelii Lucæ habuiſſe. IIX. Quas ex Paulinis epiſtolis Marcion repudiaverit. De cæteris novi teſtamenti libris quid ſtatuerit. IX. Duos Deos ſtatuit Marcion. Aſſeclæ ejus à Prudentio Duitæ dicti. Error in Latino Cangii gloſſa-

gloſſario notatur. X. Error Marcionis de duplici DEO à Juſtino, Cypriano & aliis vel memoratus vel refutatus. XI. Nonnulli Marcionitis tria principia tribuunt, quorum ſententia cum reliquis conciliatur. XII. Triginta Marcionis æones. Deus ex elementis & numeris conflatus Marco potius quam Marcioni competit. XIII. XIV. Marcionis de Chriſto ſententia. XV. XVI. Alii Marcionis errores. Hieronymus emendatur. XVII. An Marcionitæ vivos pro mortuis baptizaverint. Silentium veterum ea de re ante Chryſoſtomum. Tertulliani locus à Chamiero allegatus huc non facit. Utri conjugum vinculo matrimonii per mortem ſoluto Marcion baptiſmum contulerit. Sententia Sebaſtiani Schmidii. Noſtra. XVIII. Iteratio baptiſmi apud Marcionitas. Marcionitarum baptiſmus à Stephano Epiſcopo Romano pro legitimo perperam habitus. XIX. Animam ex ipſa Dei ſubſtantia expreſſam Marcion docuit. Poſterior Origenis in Jobum commentarius ab Ariano quodam ſcriptus videtur. XX. Alii Marcionis errores. XXI. Marcionis ſcripta. XXII. Sandii cavillatio refutatur. XXIII. Adverſarii Marcionis. Danhavvero ab extero quodam Scriptore perperam craſſus error impingitur.

## CAP. IIX.

de

## *Lucano, Apelle, & aliis quibusdam Marcionis diſcipulis.*

I. Lucanus an à Rhodone Lupus Ponticus appellatus. Lucianum appellat Epiphanius. Loca ex Irenæo & Hilario à Prateolo & Ludovico de la Cerda adducta huc nihil faciunt. Neque Epiphanii Lucianiſtæ à Lucaniſtis diſtinguendi. II. Apellis Philumena, quam Auguſtinus Severo tribuit. III. Objectiones quas Apelles contra Moſis hiſtoriam formavit. IV. Rhodonis cum Apelle colloquium. V. Errores Apellis de Deo. VI. de Chriſto. VII. de carnis reſurrectione, de anima. IIX. Alii Marcionis diſcipuli.

## CAP. IX.

de

## *Gnoſticis ſeu Gnoitis, Borboritis, Barbeliotis, Coddianis, Corpiano, Scorpiano, Phibionitis &c.*

I. II. III. Variæ veterum de Gnoſticorum origine ſententiæ. IV. Gnoſticorum nomen modo generalius modo ſpecialius accipitur. V. Hammondus plurima N. T. loca de Gnoſticis explicavit. VI. Quod ab Uſſerio & aliis minus probatum. VII. Conſalvi Poncii de Leon epiſtola ad Latinum de origine Gnoſticorum. VIII. Croji ſpecimen conjecturarum à Petavio diſcuſſum. IX. Gnoſtici à Philoſophis gentilibus ſua deliria hauſerunt. X. Cur Borboritæ dicti Gnoſtici, & Barbeliotæ. XI. Cur Coddiani. Le Moynii ſententia improbatur. Quis Corpianus martyrii contemptor apud Optatum. De Scorpiano hæretico Pamelii conjectura. XII. Cur Phibionitæ dicti Gnoſtici. Cotelerii conjectura. Alia ipſorum nomina. XIII. Libri Gnoſticorum apocryphi. Specimen perverſæ à Gnoſticis Scripturæ. XIV. Deus Gnoſticorum duplex. In Gnoſticorum gratiam nonnullas eccleſias ad primum articulum ſymboli Apoſtolici: *credo in Deum &c.* particulam *unum* addidiſſe Lupus arbitratur. XV. De verbis ejusdem ſymboli: *creatorem cœli & terræ*, ſintne Gnoſticorum occaſione ſymbolo addita, mira Chriſtiani Lupi fluctuatio. Ejusdem contra Voſſium andabatomachia. Candor Ellies du Pin in ſententia de origine ſymboli apoſtolici. XVI. Variæ Gnoſticorum nugæ & fabulæ. XVII. Martyria à Gnoſticis improbata. Tertulliani Scorpiacum. XIIX. Nefanda Gnoſticorum ſacra. XIX. Plotini adverſus Gnoſticos liber. XX. Gnoſticis ſe opponens Clemens Alexandrinus in aliud extremum labitur. XXI. Barnabæ epiſtolam Gnoſticis oppoſitam ſtatuit Hammondus. Opinionis illius refutatio. XXII. De variis editoribus & commentatoribus epiſtolæ Barnabæ, Uſſerio, Menardo, Voſſio, Madero, Cotelerio, Fellio, qui in recenſendo hujus epiſtolæ argumento nullam Gnoſticorum mentionem fecerunt. Solus Le Moyne in notis ad illam epiſtolam Hammondi ſententiam quodammodo approbat. Qua ratione Paulus Gnoſticos refutaſſe dici poſſit.

## CAP. X.
de

### *Docetis, Phantaſiodocetis, Phantaſiaſtis, Anthropomorphis, Scythiano, Marciano, Caſſiano & Hæmatitis.*

I. Docetæ unde dicti. Qualem ſententiam Herveto tribuat Halloixius. II. Docetæ à Johanne notati 1. Joh. IV. Sintne illa verba à Neſtorianis corrupta. Affirmant è noſtratibus nonnulli. Alii negant, quorum ſententia confirmatur. Unde altera loci illius lectio originem habeat. Le Moynii conjectura. III. Docetas impugnat Polycarpus. Viri cujusdam clariſſimi ſententia de epiſtola Polycarpi expenditur. IV. Ignatii locus contra Docetas. Ignatius non dicit ſe Chriſtum in carne vidiſſe. V. Euchariſtia Docetæ uti noluerunt. Teſtimonium Ignatii, à Theodoreto allegatum, ſed in editionibus Ignatii non inventum, antequam ex ſinceriori codice epiſtolas Ignatii ederent Uſſerius & Voſſius. VI. Quos Clemens Alex., Serapion & Theodoretus Docetas appellarunt, Theophylactus Phantaſiodocetas appellavit. Quales hæretici fuerint Phantaſiaſtæ. VII. Cur iſti hæretici ab Ignatio Anthropomorphi dicti. Diſceditur à ſententia Le Moynii. IIX. Scythiani ſcripta, errores, tragicus exitus. IX. Quo tempore vixerit. X. Marcianus unde errorem ſuum hauſerit. Marcianitæ ſeculi ſecundi cum Marcianitis ſexti ſeculi non confundendi. XI. Caſſianus hæreſin Docetarum non tam condidit, quam inſtauravit. XII. De hæmatitis conjectura.

## CAP. XI.
de

### *Melitoniis & Melitanis.*

I. Melitonios à Melitone Sardium Epiſcopo dictos negat Danæus. Quanta fuerit veterum de Melitone exiſtimatio. II. Ejus nævus de Deo corporeo. Sixti Senenſis lapſus. Probatur Melitonem per Θεὸν ἐνσώματον non Deum incarnatum, ſed corporalem vel corporeum intellexiſſe. III. Vana Genebrardi de confutatis Magdeburgenſibus jactantia. Montacutii de ejus

gloriatione judicium. IV. Melitonis ſcripta & fragmenta. Sitne angelus eccleſiæ Sardianæ in Johannea apocalypſi admonitus. Tertullianus errorem de Deo corporeo à Melitanis hauſit. VI. à Melitone etiam Melitani dicti. Quis illorum error. Cur Papias in antiquis martyrologiis & Græcorum menologiis omiſſus, & an inter hæreticos referendus.

## CAP. XII.

de

## *Tatianis, Encratitis, Hydroparaſtatis, Aquariis, Accaophoris, Saccophoris, Severianis, Apotactitis, Apoſtolicis.*

I. Tatiani ſcripta. Ejus harmoniam evangelicam cum Ammonii Alexandrini harmonia permutatam nonnulli aſſerunt. Valeſius plane perditam cenſet. Tatiani harmonia non fuit dicta διὰ πέντε, ut Grotio & Voſſio viſum, ſed διὰ πάντων. Valeſii argumenta expenduntur. Chemnitii ſententia. II. Quo tempore Tatianus hæreſin ſuam diſſeminare cœperit. Epiphanii error. Alius Philaſtrii. III. Svavia Baronii ſomnia de Romanæ Eccleſiæ ſanctitate. IV. Qua occaſione in hæreſin lapſus Tatianus. Ejus de æonibus figmenta. V. De conjugio quid ſtatuerit. VI. Error de damnatione Adami. Gelaſii decretum de Scripturis canonicis & apocryphis, ſitne Gelaſii an alterius Autoris. Sententia Benedictinorum Pariſienſium. Chiffletii de eodem decreto ſententia. VII. Tatiani error de Chriſto. Vini uſum prohibuit Tatianus. IIX. De Encratitis quid Irenæus ſcripſerit. IX. Aliorum De Encratitis teſtimonia. X. Cur Hydroparaſtatæ dicti. XI. Aquarii. XII. Ab his hæreticis diverſi Aquarii, contra quos Cyprianus diſputavit. XIII. Accaophori, Saccophori, qui in bibliotheca Juſtelli duobus in locis σαρκοφόροι ſeu Sarcophori vocantur. Siphori apud Gennadium qui ſint, incertum. XIV. Severus Tatiano poſterior. XV. Severianorum errores. XVI. Apotactitæ unde dicti. Apoſtolici. Novum Apoſtolicorum genus.

CAP.

Digitized by Google

## CAP. XIII.

de

*Montano, Cataphrygibus, Pepuzianis, Montenſibus, Priſca & Maximilla, & variis Montani aſſeclis, ubi etiam de Tertulliano, autore actorum Perpetuæ & Felicitatis, & Epiſcopo quodam Romano montanizantibus.*

I. Unde Montaniſtæ, Cataphryges, Pepuziani dicti. II. Num Montanus de Deo recte ſenſerit. Variæ veterum ſententiæ. Non tam Montanus, quam nonnulli ex ejus diſcipulis in articulo de Trinitate heterodoxi fuerunt. III. An Montanus ſe Paracletum eſſe dixerit, aut à diſcipulis ſuis pro Paracleto habitus. IV. Error Montani circa poteſtatem eccleſiæ in gravioribus peccatis dimittendis, quam negavit. V. Fuit anteceſſor Novatianorum. Locus Philoſtorgii à Godofredo minus recte intellectus. VI. Num tempore Montani etiam orthodoxi quidam gravioribus peccatis veniam negaverint. Tertullianus à Morino mendacii arguitur. De Hermæ Paſtore varia veterum & recentiorum judicia. VII. Sententia Sirmondi & Albaſpinæi de univerſali eccleſiæ primitivæ in homicidas, adulteros & idololatras rigore refutatur. Petavius ſuam ſententiam ipſe retractavit. IIX. Montaniſtarum de jejuniis ſententia. De jejuniis quartæ & ſextæ feriæ in primitiva eccleſia uſitatis. Error Epiphanii. De ſtationibus veterum. IX. De jejunio quadrageſimali apud Scriptores ſeculi apoſtolici & apoſtolico proximi altum ſilentium. Locus Irenæi explicatur. De jejunio quadrageſimali per Teleſphorum inſtituto nihil in genuinis Chronici Euſebiani codicibus legitur. X. probatur nulla præcepti neceſſitate Chriſtianos primitivæ eccleſiæ ſtata jejunia obſervaſſe. Beveregii ſententia de jejunio quadrageſimali. XI. Locus Matth.

 IX, 15.

IX, 15. Confirmatur ſententia de liberis eccleſiæ primitivæ jejuniis. XII. Ciborum etiam delectus liber fuit. Alcibiades ob nimiam in victu auſteritatem per Attali viſionem reprehenſus. XIII. Leges jejuniorum à Montano conditæ. A cibus quibusdam Montaniſtæ cur aliquandiu abſtinuerint. Injuria ab Epiphanio Montaniſtis facta. XIV. Pontificiorum cum Montaniſtis conſenſus. Ridicula Pereſii ſententia. XV. Error Montani de ſecundis nuptiis, in quo etiam Patres quidam verſati. XVI. Fuga apud Montaniſtas illicita. Montaniſtarum martyria. XVII. Patriarchæ de Pepuza: Montaniſtarum maximi in can. 8. concil. Laodic. Nefanda ſacra Montaniſtis afficta. XIIX. Viſiones & prophetiæ Montaniſtarum. Veterum quorundam Scriptorum de Montano narrationes Rigaltio ſuſpectæ. XIX. De Autore antiquo, ex quo Euſebius lib. 5. c. 16. & 17. nonnulla excerpſit, ſententia Baronii refutata ab Halloixio. Valeſii ſententia impugnata à Baluzio. XX. Montaniſtarum voce aliter utitur Philaſtrius. Montenſes olim dicti Donatiſtæ, & Feliciſſimi Sectatores. Oxonienſis Epiſcopi obſervatio. Error Mariani Victorii. XXI. Priſca, Maximilla Montani prophetiſſæ. XXII. Montani aſſeclæ Theodotus, Themiſon, Miltiades, Proclus, Æſchines & alii. XXIII. Synodus Hierapolitana contra Montaniſtas. Tertulliani ad Montaniſtas defectio. XXIV. Præcipuæ editiones operum Tertulliani. XXV. Tractatus ſeorſim editi. Error Ellies du Pin. Voſſii error à Colomeſio notatus. XXVI. Quis Epiſcopus ille, quem mœchis indulgentiam dediſſe Tertullianus ſcribit. Allixii ſententia. XXVII. De cauſis, quæ Tertullianum moverunt, ut ad Montaniſtas tranſierit. XXIIX. Autor Actorum Perpetuæ & Felicitatis montanizans. Nec ipſæ Perpetua & Felicitas à labe Montaniſmi immunes videntur. XXIX. Romanus Epiſcopus montanizans quis fuerit. Variæ ſententiæ.

## CAP. XIV.

de

### *Taſcodrugitis, Aſcodrupitis, Aſcodryptis, Aſcitis, Pattalorinchitis & Artotyritis.*

I. Taſcodrugitæ unde dicti. Scholiaſtes græcus τῶν βασιλικῶν notatur. II. Aſcodrugitæ, Aſcodrugi, Aſcodrobi, Aſcodruti. Aſcodrupitæ. Aſcodryptarum hæreſis fictitia. III. Aſcitæ. Inofficioſa Auguſtini emendatio per Danæum. IV. Paſſalorinchitæ unde dicti. V. Artotyritæ. De buccella caſei, quam Perpetua in viſione accepiſſe dicitur.

## CAP. XV.

de

### *Alogis, Theodoto Coriario, Theodoto Trapezita, Melchiſedechianis & Artemone.*

I. Alogorum nomen unde. II. Theodoti Coriarii Errores. Ejus in hæreſin lapſus unde ortus. Locus Hieronymi. III. Theodotus Trapezita. Melchiſedechiani. IV. Artemon. Zvvickeri blaſphemia. Joſephi Medi lapſus. V. Locus 1. Joh. V, 7. ab Artemonitis ex plurimis exemplaribus ablatus. Wittichii & Mareſii ea de re certamen. An locus ille Johannis in exemplari, quo Cyprianus uſus, lectus fuerit. Simonius, qui id negat, refutatur. Error Facundi Hermianenſis.

## CAP. XVI.

de

### *Hermogene, Hermianis, Praxea, Monarchianis, & iterum de Patripaſſianis.*

I. Hermogenis error. Adverſarii. Hermiani. II. Praxeæ error. Ejus aſſeclæ Monarchiani dicti. III. Quo tempore

Romam

Romam venerit. IV. An Romæ damnatus errorem ſuum revocaverit. V. Patripaſſiani.

## CAP. XVII.
de
## *Antitactis, Peratis & Helceſaitis:*

I. Antitactarum hæreſis qualis fuerit. II. Peratarum Duces. Quis illorum error. Ad hos hæreticos canonem 48. Apoſtolicum & Athanaſianum Symbolum reſpicere putavit Harduinus. De Monoimo. III. De Helceſaitarum ætate variæ ſententiæ. Qui illorum errores.

Digitized by Google

Digitized by Google

3015
Digitized by Google